Pœnitentia nonniſi per moleſtas actiones fieri poteſt.

Solum pœnitentiæ nomen manifeſte probat eam fieri non poſſe ſine operibus, quæ cum pœnis, & laboribus conjuncta non ſint. Cum hæc virtus nomen ſuum a pœna deſumpſerit, quam ſibi anima infligit ſe ipſam affligens dolore, quod læſerit Deum, & corpus ſuum mortificans, cui adhæret, & quod ut plurimum cauſa eſt criminum ejus: hæc ratio eſt, propter quam Scriptura ſancta, & Patres nunquam de pœnitentia loquuntur, quin ſimul de moleſtis actionibus, lacrymis, ciliciis, gemitibus, vigiliis, jejuniis, cineribus, aliiſque id genus exercitiis loquantur. *Revertimini ad Dominum in toto corde veſtro, ac reditus veſtri ſinceritatem jejuniis, gemibus, lacrymiſque oſtendite. Induimini cilicio, conſpergimini cineribus, ac ploratuum veſtrorum magnitudine imitamini gemitus, & ſuſpiria matris in obitu unigeniti ſui.* Nonne hinc inferendum eſt, pœnitentiam eſſe debere laborioſam, atque longe abhorrentem ab illis omnibus lenimentis, quæ hodie adhibentur? *Pater Gegou in libro cui titulus: Uſus Sacramenti pœnitentiæ.*

Pœnitentia ſecunda eſt poſt naufragium tabula.

Patres, atque Concilia, ut pœnitentiæ auſteritatem exprimerent, ea uſi ſunt locutione, quam ſerio a vobis animadverti poſtulo. Illam ſecundam poſt naufragium tabulam appellarunt, innuentes Baptiſmum eſſe tamquam amicam navim, quam divina præparavit providentia, ut nos a funeſto eriperet cataclyſmo, in quo omnes Adæ filii, qui in ſanctam hanc Arcam non ingrediuntur, intereunt. Sed ſi navis hæc in aliquem ſcopulum illiſa frangitur, nulla ſupereſt via, qua naufragium evitari poſſit, niſi pœnitentiam amplectaris, tamquam fractæ navis tabulam, quam nunquam deſeras, niſi poſtquam ad littus evaſeris. Quam fidelis, & ſimplex hæc pœnitentiæ imago videtur, ſed quam orribilis eſt! Etenim tibi finge calamitoſum hominem, qui in medio mari naufragium facit; & qui fluctuum vehementia agitatus fortiter adhæret tabulæ, vel fractæ navis reliquiis, quas primum arripere potuit: modo fluctuum vi ad nubes uſque ſublatus, modo in imum uſque abyſſi demerſus, nihil non conatur, ut tandem ad littus aliquod appellat. Nunc in malum natantem, nunc in fractum illius gubernaculum, nunc cæco actus fluctu in aliquam rupem impellitur; ac tandem poſtquam diu ventorum, fluctuumque ludibrium fuit, poſtquam millies in maris imo jamjam deglutiendus ſubſedit, ſeſe conjicit in littus undique fractus, cruore manans, & ſemimortuus. Hoc ipſum, Patres inquiunt, & Concilia, de pœnitentia dicendum eſt: *Secunda poſt naufragium tabula*: tabula ſecunda, quam nobis obtulit miſericordia, ut nos liberaret naufragio, ita ut per pœnitentiam noſtræ ſaluti conſulturi magna conari debeamus, & arduas, & moleſtas ſuſcipere exercitationes. *Idem.*

Adhortatio ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos.

Ne nobiſmetipſis blandiamur, o Fideles, ea in re, ubi de æterna ſalute noſtra agitur. Vel digni pœnitentiæ fructus faciendi ſunt, vel in æternum pereundum eſt. Hi quidem fructus amari videbuntur; ſed nonne omnia pharmaca hoc ipſum præſtant? Ne conſideremus eorum amaritudinem, ſed eam ſalutem, quam nobis reddituri ſunt, æternamque mortem, a qua liberare nos debent. Quid quotidie non fit, ut affecta valetudo, & periculoſo aliquo morbo afflictata recuperetur? jejunatur, amaræ potiones ebibuntur, acutiſſimæ inciſiones perferuntur, omne mundi commercium interceditur, omnia amoventur oblectamenta. Abnuimus autem leves aliquot mortificationes ſuſcipere, & aliquot pœnitentiæ exercitia obire pro gravibus noxis, quæ ſunt veluti totidem mortales ægritudines, ex quibus nequaquam omnino convaluimus, & quarum reliquiæ moleſtam nobis portendunt recidivam, quæ fortaſſe miſeræ mortis cauſa erit. Iterum dico: faciamus dignos pœnitentiæ fructus; & ſi mollities noſtra adeo ſancto conſilio adverſari voluerit, ſi mundus noſtras videndi rationem irridet, ſi hujus confuſionis metus nos cohibet, cum Tertulliano dicamus, peccavi in Dominum, juſtitia ejus tulit in me æternæ mortis ſententiam, & in periculo ſum mortis æternæ; hac de cauſa ingemiſco, ploro, caſtigo corpus meum, neque uſpiam ſatis graves invenio pœnitentias, quibus divinam miſericordiam promerear. Quaſcumque auſteritates amplectar, quodcunque malum patiar, ſi his ſumptibus gratiam invenire potero, præclare mecum actum putabo; felix, ſi tantulo impendio Deo meo ſatisfacere potero, & eas redimere pœnas, quæ vitæ meæ flagitiis debentur. *Idem.*

Ut pœnitentiam agamus, abſtinere debemus a voluptatibus, & ſolatiis etiam licitis.

Cum læſimus Deum, nequaquam illi ſatisfacimus a peccatis abſtinentes, niſi abjicemus voluptates, & ſolatia legitima, quæ amavimus, & niſi patiamur ultro pœnam aliquam, ut in nobiſmet peccata noſtra puniamus. Neque ideo putes oblectari Deum pœnis, & laboribus noſtris; ſed mederi non poteſt morbis animarum noſtrarum, niſi per ea remedia, quæ ſint eiſdem contraria. Vult ergo eos, qui lapſi ſunt illegitima ſecuti, conſurgere a legitimis etiam abſtinentes; & cor, quod ſeſe in falſa effudit gaudia, & in ſolatia nimis mundana, coarctetur quodamodo triſtitia, & mortificatione, quæ ſalutaris ſit, & Chriſtiana; alioquin ſpectandum non fore, ut nos vere pœniteat, ac Deo ſatisfiat. Et ſane quinam error eſt credere, pœnitentiam fieri poſſe ab eo, qui in earum voluptatum perfruitione perſiſtit, quæ palam malæ non ſunt, & quas honeſtas mundus appellat, in ludorum, ac inutilium viſitationum continuatione? Pœnitentia dolorem, mœrorem, ac triſtitiam ſupponit: poſſunt autem hi ſenſus in anima haberi, atque ſimul ſolatia, & voluptates perquiri? *Idem.*

Per pœnitentiam redimendum eſt tempus, quod in vitiis inſumptum eſt.

Nos hortatur Apoſtolus, ut quocumque pretio redimamus tempus: & Sanctus Gregorius lib. 6. Moral. cap. 6. hæc explicans verba ait, redimemus tempus, cum per lacrymas, & auſteritatem pœnitentiæ tempus redimimus, quod per peccata, & vitæ noſtræ flagitia perdidimus. Ex his verbis colligimus, ſi peccatori redimendum eſt per pœnitentiam tempus, quod per ſua amiſit peccata, & ſi tunc cum redimitur, ut Sanctus loquitur Auguſtinus, amittendum aliquod eſt eorum, quæ ad nos pertinent, ad emendum, quod ad nos non pertinebat, patet, nobiſmet interdicendum eſſe ultro jus illud, quo uti poteramus iis rebus, quæ vetitæ non ſunt, ad reparandas præteritas noxas, & peccatorum noſtrorum remiſſionem comparandam. Unde liquet etiam, pœnitenti nequaquam ſatis eſſe debere communia pietatis fidelium exercitia; ſed graviora eſſe eligenda, tanquam remedia vulnerum ſuorum magnitudini idonea ſecundum verba Sancti Joannis, facite fructus dignos pœnitentiæ. *Liber, cui titulus*: Inſtructions Chretiennes, *pro vigeſima poſt Pentecoſten Dominica.*

Pœnitentia magna eſſe debet, pro magnitudine odii, quo Deus peccatum perſequitur.

Metiri debemus, Domine, pœnitentiam noſtram ex horrore, quo noſtra odiſti peccata, ſed quam magnus hic horror eſt! Tantum enim illa odiſti, quantum temetipſum diligis: & odium hoc proficiſcitur ex infinita oppoſitione, quæ peccatum inter, & ſummam ſanctitatem tuam intercedit. Infinite illud odiſti, quia infinite bonus, & ſanctus es; ad id autem conſideranda ſunt omnia mala, quæ nobis attulit peccatum, ut majori cum ſollicitudine quæramus remedium, quod nobis contuliſti, ut quidquid detrimenti paſſi fueramus, repararemus. Peccatum nos a te dividit, pœnitentia nos tecum conjungit: peccatum nobis mortem infligit, pœnitentia vitam concedit; peccatum nos dæmonis filios facit, pænitentia filios Dei; peccatum nos in infernum præcipites agit, pœnitentia vero efficit, ut paradiſum mereamur. Oderimus ergo infinite peccatum, quod infinita nobis mala parit; amemus infinite pœnitentiam, cujus ope tot bona recipimus. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia, vel pœna, quam exigit Deus ob peccata etiam, quæ remiſſa ſunt, oſtendit quanto odio peccatū perſequatur.

Magna quidem peccati nequitia, graviſque dicendus eſt horror, quo Deus illud perſequitur; quia quantumvis magna ſit illius miſericordia, veniam ne amiciſſimis quidem concedere poteſt, quin legitimam ex illis ſatisfactionem expoſcat, quemadmodum & Moyſis, & Davidis exemplo didicimus. Gratis peccatoribus ſuam reddit amicitiam; reddit illis cum gratia omnes infuſas virtutes, omniaque Spiritus Sancti dona; illis reddit merita omnium bonorum operum, quæ peccatum penitus annihilaverat: eas redeuntes amplectitur amantiſſime tamquam miſericors Pater; quoad pœnam ipſorum peccatis debitam, illius æternam durationem remittit: pœnam vero, integrumque ſupplicium illis nequaquam remittit, quantumvis magna ſit illius miſericordia, & quantamcumque lætitiam pro reditu prodigi hujus filii teſtatur: *Scietis ultionem meam*, ait ille Num. 14. Sciat, volo, peccator, quantopere peccatum oderim, & quanquam ſim Deus miſericordiarum, nemo tamen impune me lædet: *non guſtaremus peccati amaritudinem, ſi ſimul cum culpa remitteretur & pœna.* Sanctus inquit Auguſtinus Tractat. 124. in Joann. Neſciremus, quam amarum ſit crimen, atque illuc poſt pœnitentiam reverti minime metueremus, ſi hæc pœnitentia, videlicet dolor peccati nulla pœna exciperetur. Itane, o Deus, adeo parum fidelibus de hac veritate perſuaſum eſt? Ita facile peccant; pœnitentia illis negotium minime faceſſit; putant rem totam in eo verti, ut inſuſurrent in Sacerdoti auriculam peccatum aliquo cum dolore, heu! ſæpe ſuperficiali, & cujus mera tantum ſpecies eſt; & poſthæc nihil ſibi vel faciendum eſſe, vel metuendum, quaſi Deus ad illud animum nequaquam adverteret. Neſcio, utrum hodierna die alius ſit error hoc magis pernicioſus ſaluti animarum, vel major imprudentia in pleriſque fidelibus, qui, quin hac in vita

agant

agant pœnitentiam, & divinæ juſtitiæ ſatisfaciant, expectant, donec ipſe Deus, vel in hoc, vel in altero mundo pœnas depoſcat. *P. Gegou in libro, cui titulus: Uſus Sacramenti pœnitentiæ.*

Hic erat Sancti Bernardi metus: *Vapulem, Domine*, *male operans*, ajebat ille, *vapulem, forte miſereberis flagellato.* Percute, Domine, neque parcas mihi, ubi in ſcelus aliquod cecidero; fortaſſe hæc flagella te flectent, ut mei miſerearis. Porro ſi timor iſte ſanctiſſimorum virorum corda pervaſit; ſi id reputantes contremuerunt; ſi id cauſa fuit, propter quam toto vitæ ſuæ tempore graviſſimas ſuſtinuere pœnitentias, quam vim habere debet in animabus mundanis, quæ vitam ſuam omni vitiorum genere commacularunt? Si meræ negligentiæ effecerunt, ut ſanctæ animæ Dei odium, & graviſſima quæque mala metuerent, quid metuendum illis eſt, qui, poſtquam omni flagitiorum labe vitam ſuam fædarunt, levem dumtaxat egiſſe pœnitentiam ſatis putant? Sancti hæc cogitantes inter pœnitentias, & auſteritates ſuas toto vitæ ſuæ ſpatio trepidaverunt: animæ vero mundanæ poſt levem confeſſionem ſe in tuto eſſe cenſebunt. *Idem.*

Senſus peccatoris meditantis expiare ſcelera ſua auſteritate pœnitentiæ.

Peccator cum Salvatore dicere debet: *Baptiſmo debeo baptizari, & ecce quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* Baptiſmus, quo tu, o Salvator, baptizandus eras, Baptiſmus erat ſanguinis tui, in quo immergendus eras propter peccata noſtra in acerbiſſima paſſione tua: & adjeciſtis, *quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* Ego peccator, & ipſe baptizandus ſum Baptiſmo pœnitentiæ, qui Baptiſmus eſt larymarum, & quodammodo etiam ſanguinis, ſi verum eſt, ut quidam Pater ait, lacrymas ibi effundendas quamdam eſſe ſanguinis ſpeciem; & ſanguinis etiam Baptiſmus eſt, quia eſt veræ, perfectæque mortificationis Baptiſmus. Heu! quænam me urget ſollicitudo cupientem ſanctam laborioſi hujus Baptiſmatis ferre ſeveritatem. Salvator mi, applica quæſo mihi ſanctos hos Baptiſmi pœnitentiæ rigores. In pœnitentiæ ſpiritu recipio mala, quæ mittes mihi, detrimenta, corporis, animique afflictationes, morbos hoc tempore miſeriis referto, & ſine querela ſub flagellis tuis caput ſubmittam: ſed quemadmodum efficis, ut ſentiam gratiam, & benedictionem peculiarem, qua perfunditur, qui obtemperat tibi, cum jubes, me per pœnitentiam expiare peccata mea, æquo, lubentique animo accipio pœnas omnes, quas miſericordia tua, potiuſquam juſtitia, hac in vita mihi mittere voluerit. *Idem.*

Sanctæ auſteritates, quas præcipis, Domine, & peccatoribus vere pœnitentibus inſpiras, non ſolum ſunt juſtitiæ tuæ effectus, verum etiam paternæ miſericordiæ tuæ exercitium. Medice ſapiens! hæc eſt vivendi norma, quam tuis præſcribis ægrotis, ut ſuam curationem perficiant, utque illis omnia mali principia auferantur; hæc ſapiens, eſt, & miſericors præcautio, qua noſtris infirmitatibus conſulis, ad excitandam iis in occaſionibus vigilantiam, in quibus facile labimur. Applica mihi, Salvator, ſaluberrimas haſce auſteritates, quæ in me peccatorum meorum memoriam perennant, eaque horribilia efficiunt in oculis meis, ita ut mihimetipſi opera vere pœnalia imponam, quibus caro mea mortificetur, & crucifigatur, ſpiritus vero humilietur, quibus recidivæ metus mihi incutiatur, ita ut a pœnitentiæ exercitatione nunquam recedam. O pœnæ quam validum eſtis licentiæ, & furoribus frænum, quam amabiles eſtis! O ſanctæ præcautiones vos toto pectore amplector, ac Divinam adoro miſericordiam, quæ vos mihi imponit! *Idem.*

Pœnitentia reparat gloriam, quam peccatum eripuit Deo.

Pœnitentiæ exercitatio eſt veluti honoraria quædam mulcta qua peccator reparat quodammodo honorem, quem Deo ſuum crimen abſtulerat. Et profecto peccator incipit ſeſe humiliare confitens ſuas infirmitates, & crimina, errores mentis ſuæ, ſuique cordis flagitia, deinde profitetur Deum ſolum eſſe ſanctum, & a juſtitiæ via recedere quicumque illius legem infringit. Denique ut ipſe eam ulciſcatur injuriam, qua Deum affecit, diſtringit arma, ac in ſemetipſum ſevere animadvertit. Superbia cauſa fuit, propter quam obedientiæ jugum excuteret, humilitas eum pudore ſuffundit errores ſuos confitentem: voluptas cor ejus corrupit, contritio illud dolore frangit, & quia caro ejus rationem fefellit, illam auſteritatibus crucifigit. Hæc omnia, ſicut videtis, mirum in modum læſi numinis gloriam reparant. Ad hæc peccator per pœnitentiam hinc quidem ſuam agnoſcit infirmitatem, inde vero Creatoris ſui præſtantiam, & poſtquam ejuſdem excuſſit imperium, iterum ſeſe eidem ſubmittit. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia Deo ſatisfacit magis, quam rigor iræ ipſius.

Quoniam ſevera eſt pœnitentia, iræ divinæ munere fungitur, ut loquitur Tertullianus, idque majori vi, & efficacia, quam Dei ipſius ira, vel potius agit in nobis id, quod ipſius Dei ira, ſi ſola ſit, nequit efficere. Quare? Quia ira quidem Dei peccatum punit in nobis, non delet; pœnitentia vero illud delet puniens; quamobrem ita Dei, ſi ſola ſit, quaſcumque pœnas vel exigat, vel ſumat de peccatoribus, nunquam efficere poteſt, ut Deo ſatisfiat, quod in inferno videtur, ubi tota pœnarum, quas reprobi patiuntur, æternitas numquam ſatisfacit Deo, quia in inferno, Sanctus Bernardus ait, Dei tantum ira operatur. Pœnitentia vero felici iræ ſimul, & miſericordiæ divinæ immixtione, iræ quidem, cujus vices gerit, miſericordiæ vero, quam flectit, juſta, & integra eſt ſatisfactio, quam Deus expectat a peccatore. *Dictionarium morale.*

Pœnitentiæ neceſſitas.

Duplex tantum in cœlo patet via, vel innocentia, vel pœnitentia. Quis autem illuc per innocentiam ſe iturum putat, præter illos, qui per ætatem peccare non poſſunt? Peccatori ſine pœnitentia, & ſine mortificatione nulla ſalus. Quid eſt peccator, Tertullianus ait? homo eſt ad pœnitentiam, & mortificationem natus. Peccatori aut pœnitentia, aut infernus: illi plorandum, & ultro in tempore ſuſtinendum eſt, aut invito in æternitate plorandum, & perferendum. Si vera narrat Evangelium, nil medium, eſt, elige utrum mavis, dum licet; at eligendumne eſt, atque deliberandum? Quodvis peccatum, Sanctus Auguſtinus inquit, vel ab ultore Deo, vel ab homine pœnitente puniendum eſt; vide, utrum optes. Nonne ſatius eſt divinæ juſtitiæ ſeveritatem evitare eam prævertendo, vel potius eamdem flectere temet ejuſdem miniſtrum conſtituendo? .... Dignatur Deus juſtitiæ ſuæ cauſam in tuis committere manibus, dummodo bona fide hanc aggrediaris provinciam: quantumvis graves ſint ictus tui, ſemper erunt infirmiores illis, quos omnipotens brachium infligit. Pœnitentia, Tertullianus inquit, vice fungitur juſtitiæ Dei. *P. Nepveu tomo ſecundo conſiderationum.*

Actiones noſtræ oſtendere debent ſinceram eſſe noſtram pœnitentiam.

Actiones veſtræ, veſtræque agendi rationes debent oſtendere, vos verum cepiſſe voſmet convertendi, & pœnitentiam agendi conſilium. Quantumvis firmæ ſint, ſtabileſque deliberationes veſtræ, ubi illis non accedunt comites virtutes, atque actiones, quamprimum quatiuntur, atque delentur. Ne in vitæ veſtræ ratione patiamini quoſdam mores, qui palam oſtendunt, olim mundum vobis, quam Deum, fuiſſe chariorem; ne ſervetis amplius inania ornamenta, & luxus, & vanitatis reliquias, propter quas olim in mundo ſuſcipiebamini; ex animo veſtro obliterate ſuaviſſimas ideas, ac jucundiſſimas illecebras hujus mundi, quibus corrupti fuiſtis. *P. de la Rue ſermone de Sancta Magdalena.*

Pœnitentia eſſe debet auſtera.

Hæc eſt Tridentini Concilii ſententia *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. Fructus Baptiſmi differt a fructu pœnitentiæ? etenim per Baptiſmum induimus Jeſum Chriſtum, & ſimus in illo nova creatura plenam, integramque omnium peccatorum noſtrorum remiſſionem recipientes: ſed in pœnitentiæ ſacramento ad primam illam novitatem pervenire non poſſumus ſine magis ploratibus, laboribuſque, hoc ita divina juſtitia flagitante: ita ut non immerito pœnitentia a Sanctis Patribus Baptiſmus laborioſus vocetur. Audite, Eccleſiæ filii, verba matris veſtræ: hæc vobis proponit magnas pœnas, magnoſque labores, Baptiſmum laborioſum. Hæc vos docet, Divinam juſtitiam hoc petere. Hæc Eccleſiæ ſeveritas eſt juxta ſpiritum ejus, qui nunquam extinguetur, & quem illa ſemper opponet laxitati. Quid nobis prodeſt cum concilio hæreticorum mollitiem deteſtari, qui hos ſanctos pœnitentiæ rigores exploſerunt, ſi in ſimilem incidimus languorem, & re ipſa negamus, quod verbis fatemur? Hic Eccleſiæ rigor juſtus eſt; imitatur enim Dei juſtitiam, peccatore in ſemet ulciſcente injuriam, qua infinitam hanc bonitatem, & majeſtatem affecit. Salutaris eſt, quia novus eſt Baptiſmus, difficilis quidem, & laborioſus, ſed ſemper Baptiſmus eſt, per quem plorantes peccata noſtra in cordis noſtri amaritudine recipiemus primam illam novitatem, & integritatem Baptiſmalem, quam amiſeramus. *Boſſuet Meldenſis Epiſcopus in libello quodam de Jubilæo.*

Peccatum neceſſario vel a Deo ultore, vel a pœnitente peccatore puniendum eſt.

Conquerimur, ubi confeſſarius aliquot præcipit jejunia, eleemoſynas, mortificationes. Nunquid reo cum judice diſceptandum eſt? Heu! quam parum hoc nobis videretur, ſi nobis eſſet perſuaſum, nos infernum jam fuiſſe promeritos, & levi hac pœnitentia a damnatione liberari. Ita eſt, peccator, vel ab ultore Deo, vel a corde pœnitente puniendus es: divinæ juſtitiæ vel contritione, vel ſupplicio ſatisfaciendum eſt:

Aut

Aut ab homine pœnitente, aut a Deo puniente. Cum Deus æternus ſit, atque infinitus, oderit, opus eſt, peccatum eodem modo, quo amat ſeipſum; quemadmodum autem Deus ſe ipſum in æternum amabit, ita peccatum in æternum oderit. Ita peccati pœna nullum habebit finem, quia odium peccati in Deo nullos eſt terminos habiturum. Peccatum igitur in hac vita per pœnitentiam expiandum eſt, vel ſubeunda æterna pœna, quam Dei juſtitia altera in vita nobis infliget. *Specimen ſermonum pro Adventu.*

Pœnitentia præſens eſt antidotum contra futura peccata.

Pœnitentia inſtar eſt firmiſſimi valli, quod objicimus torrenti affectionum noſtrarum, noxiorumque habituum, qui nos pertrahunt in ſcelus, niſi illis vallide obluctari fuerimus. Proh! Sanctus Auguſtinus ait, quam abeſt a peccandi conſilio cor, quod jam pœnitentiam facere decrevit; cum ob oculos ſemper habens peccatum ſuum paratus eſt omnibus vitæ afflictionibus, pœniſque ſubeundis pro criminum ſuorum ſatisfactione! Quam longe diſtat a divitiarum cupiditate avarus; qui illas in ſinum pauperum effundit! Quam procul a turpibus voluptatibus recedit impudicus, ubi paciſcitur cum oculis ſuis, ne illos circumferat in objectum aliquod, cujus intuitus animæ ſuæ puritatem offendere poſſit! Pœnitentia præſentiſſimum eſt antidotum contra peccata propter actus charitatis, ſpei, & contritionis, quos complectitur, & propter merita ſanguinis Dominici, quorum indeſinenter inſtaurat applicationem peccatori pœnitenti; eadem copioſarum gratiarum effuſionem meretur, Deum, ut ita dicam, ad ſanctam excitans æmulationem, eum cogens, ut ſeſe peccatori eo præbeat indulgentiorem, quo hunc in ſe ipſum ſeveriorem eſſe cognoſcit. Hæc Tertulliani ſententia, cum ait: *Nos jejuniis aridi invidia cœlum tundimus.* Sed ubinam ſunt hi veri pœnitentes? *Ibidem.*

Pœnitentia eſſe debet auſtera, & cur.

Homo peccator Dei locum tenet, cum ſe ipſum judicat per pœnitentiam; quod explicitis verbis docet Tertullianus lib. de Pœnit. Pœnitentia, inquit ille, virtus eſt, quæ in nobis vices gerere debet juſtitiæ, & indignationis Dei; juſtitiæ quidem, ut nos damnet, indignationis autem, ut puniat. Hic enim ſenſus eſt horum admirabilium verborum: *Pœnitentia Dei indignatione fungitur.* Hæc virtus eſt, quæ in nos Dei cauſam ſuſcipere debet, quæ debet in nobis reparare injurias illatas Deo, quæ noſtrummetipſorum ſumptibus Deum ulciſci, & flectere debet, quæ, prout plus, minuſve nocentes ſumus, efficere debet, ut plus, minuſve divinæ indignationis, & odii pondus ſentiamus, illud dico perfectum odium, quo peccatum perſequitur, & ſanctam indignationem, quam contra peccatorem non concipere nequit, quia Deus eſt. Si Pœnitentia eſt rectæ rationi conformis, hoc eſt, ſi id eſt, quod eſſe debet, hic illius verus character eſt. Quæro autem; character hic poteſtne illi convenire, niſi in ſeveritatem inclinet, neque nobis contra nos hunc inſpiret zelum ſeveritatis, qui illius proprius eſt? *P. Bourdalove in veris ſermonibus primi Adventus ſermone de pœnitentiæ ſeveritate.*

In quo conſiſtat vera, & eſſentialis Pœnitentiæ ſeveritas.

Illud in pœnitentia majori nobis ſtat ſumptu, ac labore, quod nobiſmet interdicere debemus, quidquid propria ratio nobis vel peccatum eſſe, vel peccati cauſam oſtendit; quod ex cordibus noſtris revellendæ ſunt affectiones, quas ipſi noxias & peccati origines judicamus; quod renunciandum eſt ſexcentis rebus, quæ nobis quidem jucundæ ſunt, ſed nos in crimen illicere poſſunt; quod bona fide acceptandum nobis eſt, quidquid ſcimus neceſſarium eſſe contra crimina amuletum; quod tandem infelices peccati effectus operibus prorſus contrariis nobis ſunt reparandi. Hoc, inquam, illud eſt, propter quod pœnitentia nobis ſevera videtur. Hoc dempto, reliqua omnia æquo perferremus animo; & dummodo hoc uno perfuncti fuiſſemus quoad ea, quæ veteres præcipiebant canones, haud ægre illos inſtaurari pateremur. Jejunaremus, cilicio indueremur, adſpergeremur cinere, noſmet ad ſacerdotum pedes proſterneremus: ſed ultionem in corde ſuffocare, injuriam dimittere, bonum male partum reſtituere, honorem obtrectationibus temeratum reparare, officio ſuo teneram ſacrificare affectionem, periculoſum commercium infringere, & animum ab iis rebus, quæ amantur, divillere, hoc naturam terret, hoc arduum eſt, & difficile. *Idem.*

Deſcriptio Pœnitentis auſteram vitã ducentis, & bonis vacantis.

Viſus eſt hic homo, qui paulo ante nullius mali miſeratione ducebatur, in xenodochiis famulari pauperibus, eorum detergere vulnera, eiſque omnia præſtare officia, quæ humilis charitas illi præſcribere poterat. Viſus eſt hic homo, quem vana gloriæ cupiditas paulo ante ſupra cæteros attollebat, propriis evertere manibus meditatas fortunæ amplioris ideas, quas ipſe conceperat, & nihil putare magnum, niſi humanæ gloriæ contemptum. Viſus eſt caſtigare corpus ſuum, illud in ſervitutem redigere, mentem ſuam humiliare, geſtare crucem, ac lubenti, magnoque animo Jeſu Chriſti mortificationem amplecti. *Flechier, in Panegyrico Sancti Ignatii.*

Plerique peccatorum, qui agunt pœnitentiam: ignavi ſunt, qui non ſatis conſulunt ſibi, ut ſemet tueantur; ſibi proponunt, ne quid mali faciant, ſed nequaquam proponunt ſibi, ut eorum, quæ fecere, malorum agant pœnitentiam; cum Deo vivere volunt, quaſi ejuſdem ſemper amici fuiſſent, neque cogitant unquam, quod cum illius fuerit inimici, tenentur ſatisfacere juſtitiæ ejuſdem, & poſtquam ſibi licere voluerunt plurimas voluptates, quibus erat interdictum ſibi ſaltem a quibuſdam earum, quæ licent, eſſe abſtinendum. *P. Valois Epiſtola 4. receſſuum ſuorum.*

Hipotypoſis S. Paulæ.

Admirabilis Sancta Paula procul quidem ab illis aberat flagitiis, in quibus fidelium plerique verſantur, & nihilominus vide, quomodo illa viduitatis ſuæ tempore ſecum ageret, Sancto Hieronymo teſte: *Ita levia peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream.* Mœrebat illa, dolebatque tanta lacrymarum ubertate ob levia crimina, ut eam graviſſimis quibuſcumque ſceleribus coinquinatam arbitrari poſſes; illam obteſtabamur, ut ſuis parceret oculis auſteritates moderata, utque eos Sacris Bibliis perlegendis reſervaret: at ſinite, reddebat illa, me eam faciem deformare, quam fuco olim contra Domini mandatum illevi. Affligam opus eſt corpus iſtud, quod nimium deliciarum guſtavit; expiem opus eſt, oblectationum, gaudiorumque meorum diuturnitatem jugibus fletibus; ſuccedat, opus eſt, ciliciorum durities, & aſperitas indumentorum mollitiei, & magnificentiæ. *Fromentieres ſermone de Pœnitentia.*

Pœnitentia totum vitæ ſpatium protrahenda.

Docent Sancti pœnitentiam uſque in mortem eſſe producendam; & peccatum tantum eſſe malum, ut credendum non ſit, illud expiari poſſe dolore, qui minus diuturnior futurus ſit, quam vita, & Deum illum nobis dimittentem, nequaquam diſpenſare, quominus illud lacrymis eluamus, & illius pœnitentiam agamus. Inde illud proficiſcitur diſcrimen, quod inter Sanctorum, aliorumque vulgo peccatorum pœnitentiam videmus. Quanquam Sancti pro peccatis ſuis ſatisfaciant, nunquam tamen dolori ſuo faciunt ſatis; plorant peccatum, illud execrantur, illud fugiunt, illud ſemper formidant. Alii e contra quam primum illius memoriam abjiciunt; quo minus illius pondus ſentiunt, eo facilius ſibi perſuadent, ſe veniam conſecutos fuiſſe, atque cum hac falſa perſuaſione in fallaci vivunt tranquillitate. *Pater Alleaume in libro, cui titulus: Les ſouffrances de notre Seigneur durant ſa Paſſion.*

Fingete vobis videre Dei Filium, terribilem, & incorruptibilem judicem noviſſimo judicii die ſuo ſolio inſidentem; fingite vobis, hunc vobis oſtendere alienigenas hos pœnitentes, eoſque oſtendentem in iræ ſuæ ardore vobis dicere: Miſeri, quid reſpondere poteſtis huic exemplo, quod improbam duritiam veſtram confundit? Hi Ethnici erant, vos eſtis Chriſtiani omnibus Evangelii mei myſteriis imbuti. Illis non aliud erat lumen, niſi quod obſcura naturæ fax præferebat, vos autem fulgidiſſimum gratiæ meæ ſplendorem habetis. Illi unum dumtaxat ex ſervis meis audierunt; ad vos autem plures deinceps per intervalla miſi, qui voluntates meas vobis nunciarunt, atque juſſa mea prodiderunt: illis ſemel tantum prædicatum fuit, vobis autem toto vitæ veſtræ ſpatio: illis nonniſi urbis excidium intentatum fuit, vobis autem animæ veſtræ, veſtræque æternæ felicitatis interitus, cujus jactura toto cœlo luctuoſior eſt, magiſque irreparabilis. Ethnici illi egerunt pœnitentiam, & vos cum toto Chriſtianiſmo veſtro nondum reſipuiſtis: illi uni crediderunt Prophetæ, vos autem non credidiſtis mihi Dei viventis filio: illi jejunarunt, vos in comeſſationibus, & impudicitiis veſtris permanſiſtis: illi ſe ſacco, & cilicio induerunt, vos ſemper pompam, veſtimentorumque luxum amaſtis: illi profunda, & vera triſtitia ſemet afflictarunt, vos cupidiſſime mundana gaudia, & ſolatia profana conquiſiviſtis. Infelices Chriſtiani quid habetis, quod reſpondere poſſitis? Nunquid minus edocti fuiſtis, quam illi alienigenæ? nunquid minus admoniti? Nunquid pauciora charitatis meæ rum, amoriſque argumenta recepiſtis? Nunquid minus vobis metuenda eſt mea ultio, atque juſtitia? Cur ergo in impœnitentia permanſiſtis? Ideo, indigni, & infideles Chriſtiani, damnamini. *Auctor Anonymus.*

Quomodo verus pœnitens ſeſe gerere debeat.

Ne credatis, Auditores, me velle pœnitentem, ſtatim ac converſus eſt, palam contra mundum inſurgere, iiſque fidem abrogare, quos eidem magis addictos cognovit. Hæc mea ſententia non eſt; ſed hunc volo

volo ſolum audacter, & ſine ullo metu animum appellere ad munera ſua obeunda, quin mundus illum amovere poſſit; ita ut ſi in pœnitentiæ praxi contemptum fuerit nactus, non ideo ſubſiſtat, neque animos abjiciat, ſi irriſionibus fuerit exceptus. Itaque contemptus ille, quo mundus excipit Sanctos, & quo Sancti mundum excipiunt, eſſe debet reciprocus: quod innuit S. Paulus Apoſtolus per hæc verba ad Galat. 6. *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, videlicet, ut Patres interpretantur; Mundus, & ille ultro citroque ſibi pro contemptu contemptum, oro odio odium reddebant, quaſi alter alteri invicem mortuus eſſet, ita ut ſi mundus Paulum tanquam mortuum reſpiceret, non aliter de mundo Paulus ſentiret. Etenim quantumvis frugi, & ſancta ſit vita veſtra juſtine, an peccatores ſitis, religioſi, an æquo liberiores, nunquam evitare poteritis improba mundi dicteria. Flagitioſus homo es, & impudicus, de te omnes in cœtibus, ac ſocietatibus obloquentur, totiuſque civitatis fabula fies, atque ludibrium. Si igitur infidelis eſt mundus iis, qui fideliſſime eidem famulantur, & ſecundum illius inſtituta, moreſque vivunt, quænam illius erit improbitas in eos, qui in virtutis partes concedunt? *P. de la Rue ſermone de S. Maria Magdalena.*

In pœnitentia pro Deo tantum ſaltẽ faciendum eſt quantũ antea pro mundo fiebat.

Cum rogo vos, atque obteſtor, ut in pœnitentia veſtra pro Deo tantum ſaltem faciatis, quantum pro mundo feciſtis, veſtræ indulgeo imbecillitati: *Humanum dico propter infirmitatem veſtram.* Dicere poſſem; his plura facite; at nil ultra poſco. Heu quanam de re conquerimini? A me dura, & moleſta exiguntur; verum aliquidne minus moleſtum, incommodumque mundo præſtitiſtis? Nonne pro vili, abjectaque creatura longe plura feciſtis iis, quæ pro Deo petimus? Petimus nunc, ut per pœnitentiam mortificetis corpus veſtrum; at quoties alias illud ſtupidum, & pecudi ſimile per voluptates effeciſtis; & quot doloribus illud affeciſtis? Alias indeſinenter pro mundo, ac perituris bonis illius vigilabatis: nunc aliquot diei horas traducite de Deo, deque æternorum bonorum illius poſſeſſione cogitantes. Quæritur nunc, ut ab eorum neceſſitudine abſtineatis, qui vos corrumpunt, & animum ad id inducere non poteſtis; ſed quot eorum inſaniæ zelotypiæ veſtræ ſacrificaſtis? Urgemini, ut eleemoſynam erogetis, ubi adſit facultas; vos autem redditis mala eſſe tempora, pecuniam raram eſſe, ingentes eſſe familiæ veſtræ neceſſitates: ſed quin loquar de ingenti opum vi, quas abſumpſiſtis, ut cupiditatibus veſtris ſatisfaceretis, quantum auri, argentique in alea, inanibuſque ſumptibus profudiſtis? Nunc igitur in pauperum ſolatium effundite: quod in immodeſtos ornatus, in luxum, ſuperbaſque veſtes prodigebatis: xenodochiis largimini, quod in alea, ludiſque diſperdebatis. Exigitur, ut aliquot momenta veſtris invigiletis affectibus in receſſu, & oratione, ac id agendi vobis deeſſe tempus aſſeritis: ſed alias quot horas, quot dies, nocteſque in ſpectaculis, ludis, turpibuſque factis inſumpſiſtis? Nihil tunc vobis pro mundo videbatur arduum, opus eſt ergo, nunc pro Deo nihil vobis arduum videri. *Idem.*

Nulla eſt pœnitentia niſi auſtera vita ducatur.

Illuſio eſt credere agi poſſe pœnitentiam vivendo, uti olim vivebatur, & vitam mollem ducendo, quæ nihil prætermittit, ut eam ſibi comparet animi tranquillitatem, quæ erat idololatrarum felicitas, & quæ nullam ſibi elabi patitur oblectationibus indulgendi, tempuſque traducendi occaſionem. Profecto hoc eſt non intelligere, quid ſit pœnitentia. Poſtquam Deum læſerunt, cum eo vivere cogitant, quaſi ſibi ſemper fuiſſet amicus; neque reputant, quod cum ſemper inimicus fuerit, licet nobis criminum veniam conceſſiſſet, tamen ſemper tenemur juſtitiæ ipſius ſatisfacere, & poſtquam ſibi licere voluerunt tot illicita, ſibi debent aliqua ſaltem prohibere eorum, quæ licita ſunt. Sed Chriſtianorum mollities eo uſque proceſſit hodierna die, ut ne audeamus quidem apud eos de jejunio verba facere, neque hortati, ut aliquid ſuo detrahant ſomno orationi impendendum; ut nimis delicatam menſam reforment; ut quotidianis ſumptibus aliquid demant in eleemoſynas erogandum; ut ad tempus ſibi mundi conſuetudinem interdicant; ut denique illis etiam abſtineant voluptatibus, quæ omni culpa vacant pro illis, quibus contra fas, legemque Dei obtemperarunt, ſatisfacturi. *Ex manuſcripto ſermone.*

Fidelium primitivæ Eccleſiæ pœnitentia.

Primis Chriſtianæ religionis temporibus, quibus major erat fervor, præ templi foribus videbantur pœnitentes cujuslibet ſexus, ætatis, dignitatis, humiliati, proſtrati, lacrymis madentes, ultra veſtibulum pedem proferre non audentes, emittentes gemitus, & ſuſpiria, a fidelium ſocietate ſecreti, cinere, ac cilicio cooperti, obteſtantes fratres ſuos in templo introeuntes pro ipſis orare, ut Domini juſtitiam flecterent, atque criminum ſuorum veniam obtinerent, a fidelium communionem ejecti, a ſanctorum myſteriorum participatione ſemoti, integros annos in auſteritatibus, jejuniis, macerationibus, adeoque amaris contritionis ſenſibus traducentes, ut hodierni pœnitentes ne una tantum die eorum pondus vellent ſuſtinere. Talis erat olim Eccleſiæ felicitas in filiorum ſuorum diſpoſitione; raro inveniebantur fideles, qui ſacra Baptiſmi vota temeraſſent; omnes fere culpa vacabant, vel ſi aliqui erat peccatores, horum pœnitentia magis ædificabat Eccleſiam, quam eorum ſcelera eidem ſcandalum attuliſſent. *Idem.*

Quãvis Eccleſia de pœnitentiæ ſeveritate aliquid remiſerit hujus neceſſitas ſemper permanebit.

Scio Eccleſiam filiorum ſuorum neceſſitatibus commotam coactam quodammodo fuiſſe, ut aliquid de antiquarum pœnitentiarum ſeveritate remitteret. Sæculorum mutationes neceſſario quodammodo ſecum pertraxere diſciplinæ lenimentum, ſed illa non ideo naturam mutavit; non ſemper eadem illius praxis permanſit, ſed ſpiritus ejus nunquam immutatus eſt. Urbium regimen, & cujuslibet imperii leges mutata fuere, quippe quæ innitebantur judicio mortalium, quod varium eſt, atque mobile; ſed lex Evangelii innixa præceptis Dei immutabilis, atque æterni eadem ſemper eſt. Pœnitentiæ ſeveritas non viget amplius, verum eſt; ſed natura, & neceſſitas pœnitentiæ in æternum vigebit. Divinæ juſtitiæ ſatisfacere non poſſumus pro patratis criminibus, quin congruam agamus pœnitentiam, atque ut obtineamus jus veniæ ejuſdem ſperandæ, quam primi peccatores per pœnitentiam conſecuti ſunt, ſimilem nobiſmet præſcribamus oportet. *Idem.*

Satis ſæpe putamus falſam pœnitentiam.

Fortaſſe vir bonus mundo videris, majorem præ te fers probitatem, bonam fidem, majorique cura tua erga homines munera adimples; attamen hoc nondum ſatis eſt, ut ſis pœnitens. A criminibus ceſſaſti, ſed illa non expias: vitæ rationem mutaſti, ſed nondum magnum illud ſenſiſti vulnus, quo cor ipſum mutatur. Crimina illa, quæ per pœnitentiæ dolorem nunquam expiaſti, dimiſſa ſunt in oculis tuis, atque te in hac re tutum putas; quaſi ad pœnitentiam agendam ſatis eſſet abſtinere a peccatis, poſtquam vita flagitioſam, boniſque operibus vacuam vixiſti. Periculoſus hic ſtatus nihil habet, quod terreat te: delicta, quæ lacrymis nondum eluiſti, & quæ ideo coram Deo nondum dimiſſa ſunt, nil tibi metuendum relinquunt, eo pacatius in tuo peccato morieri, quod, quin illud agnoſcas, in ipſo morieris. *Idem.*

Ad pœnitentiam agendã faciendæ ſũt actiones contrariæ peccatis, quæ commiſſa fuerũt.

Peccatores, ut omnino ſua expient delicta, ea facere debent, quæ ſint ſuis flagitiis contraria. Ne putes ſatis eſſe, ſi pravam vitæ rationem abdicent, ac recentem ordiantur. Quemadmodum manus a ſcribendo ceſſans non delet illa, quæ ſcripſit: quemadmodum lingua, quæ ſeſe in injurias effundit, non expiat illas ſolo ſilentio: quemadmodum, qui obæratus eſt, æs alienum nequaquam diſſolvit recentia non contrahens debita; ita ſola vitæ mutatio præterita non delet peccata, niſi ploratus, gemitus, aliaque laborioſa pœnitentiæ opera acceſſerint. Vult Deus, peccatores, ut ab æternis ſe redimant ſuppliciis, ſeipſos carnis macerationibus damnent, atque ut reparent injurias, quibus illum affecerunt, omnibus membris ſenſibuſque ſuis, qui earum fuere participes, ea infligant ſupplicia, quæ cum criminum qualitate aliquam habeant rationem: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſatisfactionem*, ut Sanctus Paulus ad Rom. 6. inquit. *De la Fone in Eccleſiaſticis diſcurſibus pro prima Septuageſimæ Dominica.*

In pœnitẽtia corporis, & ſenſuũ mortificatio exercenda eſt.

Peccatum inter, an pœnitentiam exactam requiritur compenſatio. Non fuiſti ignavus peccator, pœnitens ignavus eſſe non debes. Corporis tui amor omnium malorum tuorum cauſa fuit: opus eſt, odium, mortificationem, bellum eidem illatum, cauſam eſſe tuæ felicitatis. Ornatuum, veſtiumque amor te in ſcelus impulit; ſimplicitatis, modeſtiæ, Chriſtianæ regularitatis amor te inde retrahat, & ad pœnitentiam adducat, oportet. Mundi, ſocietatum, & converſationum commercium animæ tuæ lethale intulit vulnus; domum tuam in ſolitudinem convertere, a mundo recede, & guſtabis, quam ſuavis eſt Dominus. Vita tua non aliud fuit, quam ſeries non intermiſſa voluptatum, ſolatiorumque; temetipſum gemitibus, ploratibuſque damnes, carnem tuam mortifices, eamque indeſinenter crucifigas, oportet &c. *Pater Maſſillon ſermone de Magdalena.*

Hominis pœnitentis hipotypoſis.

Verus Pœnitens homo eſt, qui peccatorum ſuorum dolore tabeſcens lectulum lacrymis rigat, artus tegit cilicio, & Prophetæ exemplum ſecutus cinerem tamquam panem manducat. Homo eſt divinæ juſtitiæ cauſam in ſe ipſum ſuſcipiens; homo mœrore confectus,

ctus, ſæculo, omnibuſque illius placitis mortuus, ipſas etiam maxime innocuas voluptates ſibi interdicens, eo quod aliquando non abſtinuit a nocuis; homo indeſinenter carnem ſuam mortificans, corpus ſuum tanquam rebelle, atque inceſſanter domandum reſpicens inſtar perfidi inimici, cui fidendum non eſt, vel rei inſtar, qui puniendus eſt, vel inſtar coinquinati vaſis, quod eſt expiandum. Pœnitens homo eſt, qui jugiter ſe ipſum adjudicat morti, quia ſcit ſe vitam nequaquam mereri; homo, qui ſuarum recordatus profuſionum ſibi negat etiam neceſſaria; qui non audet amplius oculos ſuos in cœlum attollere, quia illius reformidat fulmina, quæ toties meritus eſt; homo, cujus mores humiliatione ſunt pleni, quia putat per peccatum ſuum de ſtatus ſui nobilitate fuiſſe deturbatum; cujus veſtes, ornatus, ſupellex aliquid habent lugubre, quia ſe ipſum nonniſi velut hominem tumulo deſtinatum reſpicit. Pœnitens homo eſt formidine, ac terrore perculſus, qui nil videt in ſacris Bibliis niſi uberes promiſſiones, quibus ſe præbuit indignum: in Eccleſia, niſi ſacra myſteria, quæ polluit; in religione niſi magna privilegia, quibus abuſus eſt; qui de ſuggeſtu non audit niſi ea, quæ meritus eſt, ſupplicia, in Evangelio nil legit niſi juſtam criminum ſuorum pœnam. Denique pœnitens homo eſt annihilatus, humiliatus, confuſus, & contritus, qui ſuam proſpiciens indignitatem in ipſo templi limine ſubſiſtit, tanquam Publicanus, & qui non contendit ad beatum felicitatis terminum, quo anhelat pervenire, niſi per moleſtam, auſteramque viam pœnitentiæ. Hic eſt verus pœnitens; hæ ſunt conditiones, quibus aliquis ſperare poteſt ſe miſericordiam impetraturum a Deo, quem indigne adeo offendit. *Pater Maſſillon ſermone de exiguo Electorum numero.*

Pauciſſimi ſunt veri pœnitentes.

Mundi profecto nos aliquando tædet illius tumultus relinquimus, ſecedimus, ut commodius ſalutis noſtræ negotio proſpiciamus, cum Deo etiam, quem toties laceſſivimus, in gratiam revertimur; ſed hæc nonniſi pars eſt pœnitentiæ. Quotuſquiſque hanc peccatorum vitam amaris lacrymarum imbribus, & pœnitentiæ macerationibus expiat? Oſtende mihi aliquot hujus pœnitentiæ, quam te facere putas, & in qua poſt tot peccata confidis, veſtigia? Nunquid legem quadrageſimalis jejunii? Sed quot peccatores vel ab ea ſe prorſus diſpenſant, vel ex dimidio tantum obſervant? Pauperes illam divitibus remittunt; nobiles eam tanquam uſum vulgi reſpiciunt. Quid igitur? Nunquid officiorum tuorum pondus; num moleſtum negotiorum impedimentum, num adverſam fortunam, num rei domeſticæ curam, num dignitatum, honorumque tuorum pondus? Si hoc animo a te iſta ſuſtinerentur, vel ſuſciperentur, credo equidem, tibi merito adſcribi poſſent. Sed velleſne inanes prætextus, & male conſarcinatas excuſationes inter pœntentiæ opera adnumerari? Velleſne, Dominum rationem habere pœnarum laborumque quos propter ipſum non ſuffers, & quibus ſola te cupiditas tua objecit? Heu! inter hæc omnia ad ſummum nonniſi mundi pœnitens eſt, non religionis. Quid adhuc? Calamitates, morbi, infortunia, jacturæ bonorum, quibus divinitus cumulatus eras, ut ad ſalutem tuam utereris. Verum hæccine patienter, & humiliter ſuſtines; an, quum ibi pœnitentiæ occaſiones invenias, recentium delictorum materiam reperis? *Pater Maſſillon ſermone de exiguo Electorum numero.*

Cavendum eſt, ne in pœnitentia tibi parcas.

Quandoquidem pœnitentia vices gerit ultricis juſtitiæ Dei, cave ne tibi parcas; Deus enim ad examen vocabit hanc pœnitentiam, inquit Tertullianus, quemadmodum lydio lapide aurum, argentumque probatur: *Si qui venditant, prius numeratum, quo paciſcuntur, examinant, neve ſcalptus, neve raſus, neve adulter, etiam credimus pœnitentiæ probationem inire.* Prope inſpiciet, & conſiderabit pœnitentiam, qua peccator amiſſum redimit cœlum, viſurus, utrum hæc ſincera ſit, an fallax pœnitentia. Scrutabitur, utrum integra ſit, an aliquid eidem fuerit abraſum; utrum in divinæ ſtateræ trutina æquum habeat pondus; & nihilominus eam, quam poſſumus, leviorem facere cogitamus. Pulchrum ſane eſt videre Chriſtianum poſt tot peccata reformidare jejunium, vel exiguam erogare ſtipem, & vere ſe ſatisfeciſſe, ubi in ſacerdotis auriculam ſua inſuſſuraverit crimina, & pro pœnitentia breviuſculas preces aliquot fuderit. Proh Dei juſtitia, quam diſtricte aliquando jus tuum recipiens es judicatura! *Sermo Manuſcriptus.*

Exterior pœnitentia argumentum eſt ſinceritatis pœnitentiæ interioris.

Neceſſarium profecto non eſt, quod dolor interior ſeſe extrinſecus ſenſibilibus prodat indiciis: ſed illi fidendum non eſt, niſi ita fortis extiterit, ut nos impellere nequeat ad ſcelera noſtra expianda corporis, ſenſuumque mortificatione. E contra exteriores pœnitentiæ ſunt veluti effectus, qui oſtendit ſubſiſtere cauſam, videlicet dolorem, & criminum patratorum pœnitentiam. Hæ ſunt veluti recentes inciſiones, quæ rurſus cordis vulnus aperiunt, novæ ſunt cauſæ, quæ accendunt odium, & ultionem, quam contra peccatum inimicum noſtrum concepimus. Hæc pœna efficit, ut criminis noſtri meminerimus: veluti cum reus diuturno punitur ſupplicio, & per intervalla torquetur, quilibet cruciatus, quo afficitur, in mentem revocat illi cauſam, propter quam vapulat, eamque ſemper oculis ejus objicit: ita hæc pœnarum, ac pœnitentiarum continuatio, hæc auſteritatum, ac toties iteratarum mortificationum prorogatio, atque voluntaria hæc afflictio, quæ æque diu viget, ac noſtrarum iniquitatum memoria, tandem juſtitiam Dei flectit, cor ejus mollit, eumque quodammodo cogit, ut nobis criminum noſtrorum veniam concedat, ut loquitur Tertullianus: *Nos jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi, in ſacco, & cinere voluntati invidia cœlum tundimus, ut miſericordiam ambiamus orantes.* Vultibus noſtris pallentibus, & ad maciem redactis, corporibus noſtris ſiccis, & diuturna abſtinentia deformitatis, humili hoc habitu corporis cilicio, involuti, cineribuſque adſperſi, nec non lacrymis pœnitentiæ Deum ipſum ſuo inſidentem ſolio oppugnamus, ſanctam illi vim facimus, ejuſque, ut ita dicam, miſericordiam cogimus. *Idem.*

Pœnitentia eſſe debet cũ humilitate conjuncta.

Sancto Regi David peccatum ſuum ſemper ob oculos verſabatur: *Peccatores oportet, ut videant ſe,* Sanctus Auguſtinus inquit, *& diſpliceant ſibi.* Hæc enim ſuæ infelicitatis conſideratio, & jugis peccati ſui præſentia eos ſemper in humiliationis ſtatu continet, quæ perfectiſſima eſt diſpoſitio, quam ab illis exigit Deus, ſimulque rationi maxime conſona. Quis enim cogitare poteſt ſe reum eſſe mortis, & paſſionum Jeſu Chriſti; niſi hujus adfuiſſet miſericordia, ſe in æternos ignes præcipitem dandum fuiſſe, quin ſe ipſum annihilet? Quemadmodum autem ſpiritui naturaliter ſuperbo nihil tam amarum eſt, quam humilitas, ita in mortificantis hujus virtutis praxi primus pœnitentiæ rigor conſiſtit. *Abbas du Jarry ſermone pro die Septuageſimæ.*

Sine dolore, & cordis cõtritione nulla eſt pœnitentia.

Quemadmodum ex corde omnia peccata prodeunt immediate, Dei Filius inquit, ita per dolorem directe ex corde emanantem illa expianda ſunt, & voluptas ex illis precepta dolore eorumdem punienda eſt. Quam vehemens dolor hic eſſe debeat, judicari poteſt ex contritionis, & compunctionis nominibus, quibus in Scriptura appellatur ad indigitandum, Interpretes inquiunt, quod pœnitentis cor fractum, ac dolore confoſſum eſſe debet eodem ferme pacto, quo ex fracto vaſe, & ulcere cæſo, quidquid ibi latebat impurum, egreditur: quaſi lacrymæ ex corde emanantes ſecum omnem efferrent corruptionem peccati, propter quod effunduntur. Eheu! Chriſtiane, amici *luges corpus, a quo receſſit anima: non luges animam, a qua receſſit Deus,* inquit S. Auguſt. *Idem.*

Sine auſteritate, & ſine pœna nulla eſt vera pœnitentia.

Ubi nulla auſteritas, nulla mortificatio, ibi nulla pœnitentia. Quælibet idea, quam virtutis hujus concipere potes, fallax eſt, ſi hanc aliter tibi exhibeat, quam ſeveram, auſteramque. Opus eſt opera ſatisfactoria, quibus peccata rediumuntur, ut Sanctus Cyprianus ait, opus, inquam, eſt hæc opera aliquam habere rationem cum paſſione Jeſu Chriſti, cujus opus adimplent. Hac in re, o Fideles, voſmet diligenter debetis excutere; etenim quid in vita veſtra ſeverum quid mortificatum eſt, quod non eſſet in eadem, antequam in hæc laberemini ſcelera, quæ noſtis, & quorum pœnitentiam agere vultis? Omnia hæc lenimenta tanta induſtria ab amore proprio excogitata; omnes iſtæ exceptiones, quæ fiunt, cum crimínoſi nexus ſemifranguntur; hæc immodica ornatuum pompa, quam ſibi quiſque permittit; hæ converſationes, quæ non videntur innocuæ, niſi ubi cum præteritis flagitiis conferuntur; ſecreta hæc murmura contra ſeveritatem legis ea nobis prohibentis, quæ adhuc deperimus; affectiones iſtæ, quæ eo quod intra cordis noſtri terminos concluſæ ſunt, nihil nequitiæ in ſe habere videntur: hæc omnia, o Chriſtiani, nequeunt conciliari cum ſpiritu pœnitentiæ, qui non peccati ſolum inimicus eſt, ſed earum rerum omnium, quæ aliquem cum peccato nexum habent. Etenim, Sanctus Gregorius ait, nobiſmet ſæpe ea prohibere debemus, quæ licita ſunt, tanta cum ſeveritate, quanta cum facilitate ea nobis permiſimus, quæ vetita erant. *Idem.*

Vere converſi peccatoris pœnitentia ad mortem uſque perſeverare debet, quæ illius eſt conſummatio. Non deſerit tabulam hanc, quam illi poſt naufragium offert Eccleſia, niſi omni evaſerit periculo. Et ſane, S. Bernardus ait, confeſſio eſt veluti pharmacum febrim auferens; ſed pœnitentia eſt veluti victus norma,

quæ

quæ vires reſtituit, & qua opus eſt, ut perfecta valetudo reparetur, præſertim ſi diu in ſcelera verſati fuimus; diuturni quippe habitus peccatorum ſunt veluti vehementes illi morbi, qui poſt ſe aliquem ſemper languorem relinquunt, ex quo ægre convaleſcere poſſumus .... Eheu! ſi pro dimiſſis etiam criminibus nobis trepidandum eſt; ſi Sanctus Paulus, licet nullius criminis ſibi conſcius eſſet, non ideo tamen ſe juſtificatum eſſe putabat; ſi David criminis ſui veniam ſe conſecutum fuiſſe certus; ſi Magdalena, quæ ex ipſius Jeſu Chriſti labiis abſolutionem obtinuerat, adeo diuturnas, auſteraſque pœnitentias egerunt, quid nobis faciendum eſt, nobis ſcilicet, qui ſatis ſuperque ſcimus, quod toties infernum meriti ſumus; ſed qui citra revelationem nunquam ſcire poſſumus, utrum peccata noſtra nobis remiſſa fuerint, & utrum eam receperimus gratiam, quam amiſeramus? *Idem.*

Qualnam eſſe debeat pœnitentia.

Cum de pœnitentia loquor, pœnitentiam intelligo ſinceram, ſolidam, efficacem: pœnitentiam intelligo ferventem, ſedulam, ſeveram: hæc enim una reconciliare nos poſſet cum Deo, & conſcientias noſtras coram Deo pacare; quia hæc una aliquam habet cum pœnitentia Hominis Dei conformitatem. Pœnitentia imperfecta, tepida, languens, pœnitentia ignava, in qua peccator ſeipſum audit, ſeipſum palpat, ſibique parcit; pœnitentia commoda, quæ cum omnibus vitæ ſuavitatibus vult conciliare; pœnitentia, quæ non crucifigit carnem, quæ mentem non humiliat: pœnitentia ſterilis, & ſine bonis operibus, vana eſt pœnitentia, quæ Deum non lenit, ſed laceſſit, quæ conſcientias noſtras non ſedat, ſed ſexcentis ſtimulis laniat, quæ earum tumultum non aufert, ſed ipſa fit argumentum aculeatiſſimarum exprobrationum, ſæviſſimorumque tumultuum, quibus torquemur. Opus eſt pœnitentia, Sanctus Chryſoſtomus inquit, quæ cum illa Jeſu Chriſti eſſe poſſit conjuncta, & quæ pœnitentiæ Jeſu Chriſti eſſe poſſit ſupplementum. Ad id autem opus eſt, ut eos omnes habeat characteres, quos hactenus memoravi, ſinceritatem, ſoliditatem, integritatem, ſeveritatem, atque ita particeps fiat omnium qualitatum pœnitentiæ Jeſu Chriſti. *P. Bourdalove ſermone primo de Nativitate Jeſu Chriſti.*

Pœnitentia, quam peccatores egerint, illos in extremo Judicio tutos efficiet.

Fateor equidem, pœnitentiæ agendæ neceſſitatem gravem eſſe naturæ, ſed in religione inevitabilis eſt. Chriſtiani, quandoquidem non alia nobis ſuppetit ratio, qua noſmet præparare poſſimus magno illi judicio adeo ſevero, atque terribili, in quo de noſtra æternitate dijudicandum eſt: ullane poteſt nimia eſſe cura ad noſtri judicis iram leniendam, ut in ſtatera ejus poſiti non inveniamur leves, & bonorum operum noſtrorum pondus illi malorum præponderet? Quamvis magnus ſis, vel fueris peccator, de ſalute tua non deſperes, quippe judicem habebis illum ipſum Deum, qui venit ut ſalvos faceret peccatores, ſed peccatores tantum vere pœnitentes. Graviſſima ſcelera ſanguine Jeſu Chriſti & lacrymis contritionis abluta nequaquam imputabuntur auctoribus ſuis coram Deo, ſed erunt cauſa gloriæ illorum, & inſignis veluti reparatio majeſtatis ſupremi Judicis, qui benedictionibus cumulabit illos, donec interim in impœnitentes æternam maledictionem contorquebit. Magdalenæ, Petri, Pauli, Auguſtini magna illa die videbuntur ducere innumerabilem hanc pœnitentium cohortem, qui erigent quoddam veluti immortale trophæum gloriæ Divini Redemptoris ſui; atque ex adorabili ejus ore excipient cum omnium criminum remiſſione coronam pœnitentiæ ſuæ, quæ in capite eorum, qui inſignores fuere majori luce, quam corona innocentium, fulgebit. *Abbas du Jarry ſermone pro die Cinerum.*

Deus vitæ noſtræ curſum producit, ut pœnitentiæ nobis ſpatium concedat; nos vero in recentibus patrandis criminibus tempus illud tranſmittimus, quod largitur Deus, ut patrata expiemus. Quin debita noſtra diſſolvamus, recentia quotidie conflamus, & inceſſanter adjicimus aliquid theſauro iniquitatis, quem in diem ultionis congerimus. Si ante annos decem nos Deus e vivis ademiſſet, facilius rationem reddere potuiſſemus, neque conſcientia noſtra innumeris onerata eſſet criminibus, quæ patravimus poſt illud tempus, quo jam adeo nocentes eramus. Nullum eſt ex his ſceleribus, quod ſecum non deferat inevitabilem eorum expiandorum per pœnitentiam neceſſitatem; attamen longe nocentiores ſumus, quam ante, neque adeo magis, quam ante ſumus pœnitentes. *Idem.*

De illis, qui ſibi parcunt in pœnitentia.

Quid? Nonne jam Divinæ opus eſt miſericordiæ, quod nobis permittit Deus propriorum ſcelerum noſtrorum exercere juſtitiam? Et alteram etiam nobiſcum exercere miſericordiam contendimus: hoccine juſtum eſt? Cum autem in pœnitentia noſtra tantum præcautionis, ſolertiæ, lenimenti adhibemus, nonne hoc juxta Tertulliani ſententiam eſt in pœnitentia noſtra committere eas infidelitates, quæ per aliam pœnitentiam eſſent expiandæ; & ad miſericordiæ tribunal eo pacto agere, quod in nos Divinæ juſtitiæ ſeveritatem excitare deberet? Tandem enim Deus in manu veſtra juſtitiæ ſuæ gladium ſtatuerat, vos ad pœnitentiam incitans; idque, ut inordinatam affectionem abſcinderetis, ut noxia vincula, nexuſque cæderetis, ut diviſionem in penitiores uſque animæ ſinus inferretis, atque voſmetipſos ſejungeretis ab iis rebus, quibus arctiſſime adhærebatis; verbo, ut vitiis, cupiditatibuſque veſtris cruentum inferretis bellum; vos autem per mollitiem, & ignaviam vobiſmet peperciſtis. Reddite ergo, reddite Domino hunc enſem, quem adhibere neſcitis, alia profecto ratione eodem utetur Deus. Quidne verba quidem fieri de jejunio, levique mortificatione poteſtis? Quid tu mulier mundana, quæ dies, noteſque in choreis traducis, non ferendum putas confeſſarium, quia præcipit, ut una vigiles hora precibus vacatura, &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, Sermone de pœnit.*

De ſeveritate pœnitentia, & ſatisfactionis.

Niſi Deo, quod juſtum eſt, reddideris, ipſe repetet. Hic creditor eſt, quem nemo fraudare debita poteſt pecunia. Quæ ſi vera ſunt, quo in ſtatu es? Quam horribile eſt incidere in manus Dei viventis! Quam graves ſunt ictus brachii omnipotentis? *Si habes brachium ſicut Deus.* Job. 20. Pœnitentia eſt actus juſtitiæ: debet ergo aptare ſatisfactionem injuriæ: ſed quinam hoc facere peccator poteſt? Injuria eſt quodammodo infinita, quippe laceſſit infinitam majeſtatem: quid autem efficere poteſt homo, quod non ſit finitiſſimum? Hic debet Deo decem millia talenta, & vix uno denario ſolvendo eſt. Nonne igitur fateri debet ſe non eſſe ſolvendo, ac de ſe actum eſſe, ſi ullum ad extremum uſque quadrantem perſolvere juſſerit Deus? Unus erat Deus, qui ex integro ſatisfacere, & parem injuriæ offerre poſſet reparationem; ideoque opus fuit, ut Dei Filius homo fieret, & animam efflaret in cruce, ubi ſuum obtulit ſanguinem cujus infinitum eſt pretium ad injurias reparandas, atque Divinæ juſtitiæ omnino ſatisfaciendum. Sed pretium hoc utile eſſe non poteſt, niſi per pœnitentiam applicetur, quæ eo magis ſevera eſſe debet, quo major eſt peccatorum enormitas. *Pater Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus tom. I. pro die 14. Januarii.*

Si cogitaveris temporalem pœnam, quæ vobis infligitur, vel quam vos ipſi vobis irrogatis in pœnitentia, compenſationem eſſe æternæ pœnæ, non admodum vobiſmet indulgentes præbebitis. Numquid ægre denarium perſolvetis; cum decem mille talenta dimittuntur vobis? Si neceſſe non eſt inter id, quod compenſat, & quod compenſatur, inveniri æqualitatem, aliqua ſaltem ibi eſſe debet proportio; niſi ex vobis tantum quæritur, quantum debetis, tamen perſolvite, quantum poteſtis. Et profecto juſtaſne compenſationis regulas ſervatis, cum pro infinita, quæ vobis remittitur, pœna, pro omni pœnitentia ſatis eſſe putatis aliquot vocales preces adeo parum attente fuſas, ut in veſtra vobis pœnitentia recens fiat novæ pœnitentiæ argumentum? Cum una, vel & altera hora complectimini eam pœnitentiam, qua expianda peccata ſunt, quibus æternæ pœnæ deberentur, vel non ſatis intelligitis, quid ſit pœna æterna, vel non ſatis eam vos promeritos fuiſſe cogitatis. *Idem pro duodecima Februarii die.*

De pœnitentiæ exercitatione.

Nihil magis neceſſarium eſt, quam pœnitentiæ exercitatio, & nihil hac eſt infrequentius. Plerique illam inter clauſtra relegant, ſibique perſuadent, ad cœnobitas tantummodo pertinere. Pœnitentiæ exercitatio plerumque regularibus opus eſt ſupererogationis, ſæcularibus vero opus obligationis. Alii putant, hanc inſignibus peccatoribus eſſe relinquendam: at quotuſquiſque in mundo eſt, qui non indigeat pœnitentia? Sanctus Auguſtinus vir ille adeo illuminatus profitetur, nullum eſſe fidelem, cui trepidandum non ſit, ſi mors illum deprehenderit, antequam ſeſe in pœnitentiæ praxi exercuerit. Sed quid in ſe continet praxis hæc pœnitentiæ? Eam ad aliquot preces redigere, quod plerique e mundo faciunt, eſt illis verba dare, eoſque decipere: eos cogere, ut præter ordinem jejunent, ut ciliciis induantur, hoc eſt illos vel deterrere, vel ad deſperationem adducere. Ut eorum imbecillitatis ratio habeatur, proponitur illis pœnitentiæ praxis, quæ omnium mortalium generi, cujuſcumque conditionis, ætatis, ſexus, profeſſionis illi ſint, poteſt convenire. Quod videlicet in pœnitentiæ ſpiritu excipiant omnes hujus vitæ caſus, bonorum jacturas, morbos, & quidquid Divinæ Providentiæ juſſu poteſt accidere. *Idem tom. quarto.* Prima diſpoſitio, quam expetat Deus ab eo, qui ſincere agere vult pœnitentiam,

con-

conſtans eſt voluntas omnia propter ipſum aggrediendi, & ſuſtinendi. Sed nullos habet fines hominum mollities, & omnia ita mutata ſunt, ut non amplius Domini miniſtro id peccator dicat, quod ipſi Domino Paulus ait; *Quid me vis facere?* Sed confeſſarius, qui ſæpe eo redactus eſt, ut pœnitentis voluntatem faciat, eique dicat, quod olim Jeſus Chriſtus cæco Evangelico: *Quid vis, ut faciam tibi?* Quilibet rationem haberi vult imbecillitatis cordis ſui; quilibet ſibi reſervat jus de ſemetipſo judicandi; facilem quilibet directorem quærit, qui penitiores conſcientiæ latebras non ſcrutetur, ſed cui aliqua bona voluntas ſufficiat; aliquando etiam nonnulla monita æqui, bonique fiunt, ſed pleraque ſuſtineri non poſſunt. *Flechier, Panegyrico converſionis Sancti Pauli.*

SUPPLEMENTUM.

Ii, qui agunt pœnitentiā, eam agere poſſunt multiplices ob cauſas, licet juſtas.

PŒnitentia ob multiplices cauſas agi poteſt: ex Juſtitia, ex ſemet pœnas expoſcendo injuriarum, quibus quilibet Deum laceſſivit. Hæc eſt pœnitentia peccatorum juſtificatorum, qui ultro pœnas inferunt ſibi, ut Divinæ juſtitiæ a ſe labefactatæ ſatisfaciant. Ex præcautione fit pœnitentia ad corpus in officio continendum, ejuſque prohibendas defectiones, quemadmodum amuletis morbi præoccupantur: hæc eſt pœnitentia animarum, in virtute progredi cupientium, quæ non ſolum ſuperflua omnia reſcindunt, verumetiam ſibi ſubtrahunt neceſſaria. Fit pœnitentia ad imitationem, atque conformitatem cum Salvatore Mundi, qui cum Sanctus ſit per eſſentiam, & innocentiam poſſideat tamquam jus immutabile inhærens naturæ ſuæ, pertulit tamen quidquid in pœnitentia auſteriſſimum eſt, ac rigidiſſimum. Pœnitentia igitur non eſt innocentiæ oppoſita; hujus enim decorem, nitoremque tuetur; & quantumvis pura ſit anima, ſemper pœnitentiam agere tenetur, ſive ob animi grati ſenſum, ſive ob imitationem. *Auctor Recens.*

Errant, qui credunt intus tantum, & ſpiritu non autem corpore eſſe exercendam.

Illuſio eſt, qua Mundi ſpiritus, ſpiritus videlicet mollitiei ſemper uſus eſt, credere pœnitentiam eſſe virtutem mere interiorem, eamque ſuum exercere imperium dumtaxat in ſpirituales animæ facultates; illi ſatis eſſe mutare cor; noſtris tantum vitiis, & cupiditatibus bellum indicere; & ſolide exerceri poſſe, quin caro vel aliquid mali patiatur, vel quin ullo ſtet ſumptu homini huic exteriori & terreſtri, qui noſtrummetipſorum partem conſtituit. Si enim hoc verum eſſet, Sanctus Chryſoſtomus inquit, ex bibliis libri integri eſſent abradendi, ubi Dei Spiritus hac in re carnalem prudentiam confundit teſtimoniis, quæ æque amori proprio adverſatur, non minus, quam error veritati. Dicendus eſſet Sanctus Paulus rem acu non tetigiſſe, ac non ſatis bene Chriſtianam pœnitentiam intellexiſſe, cum docebat, per hanc corpora noſtra fieri debere hoſtias viventes; *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*; cum exigebat, ut hæc ipſa virtus ad carnis crucifixionem procederet: *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*: cum fidelibus præcipiebat, vel potius legem illis irrogabat: ut re ipſa in corporibus ſuis circumferrent Jeſu Chriſti mortificationem: *Semper mortificationem Jeſu in corpore veſtro circumferentes.* Demum cum aliis præbiturus exemplum caſtigabat corpus ſuum, illudque redigebat in ſervitutem, veritus, addebat ille, ne poſtquam aliis pœnitentiam prædicaſſet, ipſe illam minime exercens reprobus fieret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. P. Bourdalove.*

Rom. 12. *Galat. 5.* *1. Cor. 4.* *1. Cor. 9.*

Eſau, & Judas duo falſi pœnitentes.

Fingite vobis pœnitentiam Eſau, cum pro lentium edulio vendidit fratri Jacob ſacrum jus primogenitorum ſuorum: quibus clamoribus, ululatibus, fremitibuſque dolorem ſuum teſtatus eſt? Sed quis illius extitit dolor? Propriæ intemperantiæ mœrore confectus gerit adhuc in corde ſuo abominabile homicidii deſiderium, conſilium capit fratrem ipſum occidendi: *Occidam Jacob fratrem meum.* Dolori criminis ſui adjicit ſceleris longe gravioris meditamentum. Peccati enim ſui pœnitebat ſolum quatenus damnum intulerat, ſibi, ſibique fecerat injuriam cedens juri ſuo, quod tanti erat momenti, pro turpi, ſordidaque abjectiſſimi pulmenti voluptate. Hac ille in re ne cogitabat quidem offenſam Dei, cujus benedictiones tunc temporis primogenitorum juribus inhærentes contempſerat. Et hoc unum ob crimen profanatori ſimul ac intemperanti lacrymæ fuerunt inutiles. Pœnitentia ſua nec Deum, nec Iſaac parentem ſuum flectere potuit. Judas tradidit Magiſtrum, Dominumque ſuum morti, eumque propoſito pretio, pactaque mercede prodidit; cujus criminis enormitate perculſus ad Judæorum cœtum confugit, a quo ductus? pœnitentia, Sanctus Matthæus inquit: *Pœnitentia ductus.* Neque ſatis illi fuit ſuum dolorem oſtendere, ſe peccaſſe confitenti; *Peccavi.* Neque illi ſatis viſa eſt publica confeſſio, adjecit etiam honoris reparationem, & pretii reſtitutionem. Jeſus Chriſtus innocens erat, eumque tamquam nocentem tradidi vobis. Quænam magis aperta reparatio! Argentum hoc, abominabile ſceleris mei ſtipendium, juſti ſanguine infectum, meum non eſt, illud nolo; ſimulque projicit ad pedes eorum; quænam celerior reſtitutio? Tamen abit, & ſe laqueo ſuſpendit, & turpi deſperatione miſericordiæ, atque clementiæ Dei contumeliam faciens novo ſcelere mentitus criminum ſuperiorum pœnitentiam; palam oſtendit ſe non ſceleris horrore correptum, ſe pudore ſuffuſum ob eam turpitudinem, quæ naturaliter avaritiæ inhæret, & cædi, atque proditioni, illum pœnituiſſe. Si enim pœnituiſſet eo quod a ſe Deus læſus fuerat, næ ille quidem horruiſſet offendere Deum per deſperationem, quem offenderat modo per parricidium. Non eſt odiſſe peccatum, omnes illius ſpecies non odiſſe: præterea non eſt odiſſe illud, cum illud non in æternum odiſti. *P. de la Rue in Adventu.*

Genеſ. 27. *Ad Heb. 12.* *S. Thom. 3. p. q. 85. art. 1. ad 1.* *Matth. 27.*

Noſtra pœnitentia noſtris eſſe debet congrua ſceleribus.

Vultiſne, animæ nuper converſæ, ut mundus veſtræ plaudat pœnitentiæ? Agite, ut hæc priſcis erroribus ſit par, ut ille ignavos, timidoſque pœnitentes non inveniat, poſtquam adeo improbos peccatores nactus eſt; ne videat inanem aliquam in veſtra virtute jactantiam, poſtquam vidit tantam in vitio temeritatem: ne dicere poſſit poſt vitæ genus tot impudicitiis, ac libidinibus fœdatum, pœnitentiam veſtram in eo ſubſiſtere, ut illud ipſum vobis nequaquam fas eſſe arbitremini. Donec poſt mutationem hanc tantum boni non feceritis, quantum antehac mali feciſtis; ſemper mundum vereamini. Ita eſt, Fideles, mundus in hoc inexorabilis eſt, non ſolum in pœnitente quærit, ut a peccatis abſtineatis; ſed præterea majorum virtutem exigit, majorem verecundiam, majoremque voluptatum, terrenarumque rerum contemptum; & aliquando nimis ſeverus eſt iis in legibus, quas bonis viris imponit. *Sermo, qui vulgo Patri Maſſilon acceptus refertur.*

Cum tibi craſtinum promittere nequeas, hodie pœnitentiam agere incipiendum eſt.

Verum eſt, Deum pollicitum veniam ſeſe convertenti, nequaquam pollicitum fuiſſe diem craſtinum conververſionem ſuam differenti; ita ut ſi peccator differat illam in craſtinum, periculum ſubeat perdendi omnia. Hoc prævertit injuſtas illationes, quas haurire vellet peccator ex piis Dei promiſſionibus, ut has probet moras, quas ſuæ nectis converſioni; illi enim nequaquam promiſſum fuit, Deum expectaturum eſſe finem harum tergiverſationum, e contra eadem Scriptura, quæ veniam promittit, teſtatur etiam futurum ut deſit illi tempus ejuſdem deprecandæ. Qui miſericordiam promittit, promittit quoque ſe quamprimum ablaturum tempus, & media illam obtinendi, ſi eam flagitare contempſerit. Sed ſicuti quod pœnitentem conſolatur, non debet peccatoris audaciam confirmare: ita quod peccatorem terret, pœnitentem non debet turbare. Credere debet Deum exaudire quidem vota; hæc enim non ſolum eſt natura miſericordiæ ſuæ, verum etiam officium juſtitiæ. Hæc autem non pro ignavis, ac præſumentibus animabus loquimur, ſed ad roborandam quidem infirmitatem, præſumptionem autem infringendam. Hic igitur ſermo ad infirmas, pavidaſque, & peccatum metuentes animas habetur, ad eas, quæ inde emergere, ac in æternum peccato volunt nuntium mittere, ad eas, quæ vere, ac ſincere diligunt Deum, vel ſaltem, quæ ita illum diligere cupiunt, vel quæ credentes illum a ſe ſatis amari, dolent, & amariſſime conqueruntur. Harum autem ſingulis cum Dei Filio dicimus: *Confide, remittuntur tibi peccata tua.* Quantumcumque gravia, & enormia ſcelera tua ſint, major adhuc, & copioſior eſt Dei miſericordia: hæc promiſeris tantum eſt, ut Redemptio pro captivis, & venia pro peccatoribus. Captivorum dumtaxat, peccatorum, & miſerorum ſperare eſt. *Auctor Recens.*

Matth. 9.

Hi effectus proprie ſunt fructus pœnitentiæ.

Non ſatis eſt agere pœnitentiam, faciendi ſunt fructus pœnitentiæ. Quamplurimi ſunt ficulneæ Evangelicæ, quæ quidem frondibus erat induta, ſed hic totus erat ornatus ejuſdem. Non deſunt frondes quibus tegamur, quibus & aliis, & nobiſmet ipſis fucum faciamus; videlicet extimæ quædam ſpecies pœnitentiæ. Noſmet accuſamus, veniam petimus a Deo, omnia nobis pollicemur nihil aſſecuturi. Frondes ſunt, extimiæ ſpecies pœnitentiæ: at afficiturne iis cor noſtrum? Sincerus eſt dolor noſter? Sed efficaxne eſt voluntas iſta, quam nobis eſſe dicimus, deſerendi peccata? Sequunturne effecta? Ullane in vobis morum mutatio videtur? Nil tale. Non deſunt, qui foliis non contenti ferunt etiam aliquos pœnitentiæ flores: *Flores apparuerunt in terra noſtra.* In agro cordis ipſorum aliquot viſi ſunt flores germinare. Videmur quidem duci pœnitentia, aliquot fundimus lacrymas; conatus aliquos exerimus: hi flores ſunt, qui aliquot fructus polliceri videntur; ſed tabidus mundi hujus aer, ad quem facile revertimur, occaſiones, quibus recenter implicamur, voluptates, quæ adhuc nobis ſapiunt, ſunt tot veluti pernicioſi venti, qui efficiunt, ut flores iſti areſcant, & decidant; atque hoc pacto fallunt æquiſſimam expectationem, quæ fuerat concepta, ubi flores oboriri viſi ſunt. Verum neque ſufficit fructus facere pœnitentiæ, ſed digni pœnitentiæ fructus faciendi ſunt. Videlicet facienda eſt pœnitentia, quoad fieri poſſit, congrua Divinæ Majeſtatis magnitudini, quam lædimus, necnon nequitiæ, & ingrati animi vitio, quo illam lædimus. Si tres haſce regulas ſecuti fuerimus, hæ nos ad veram pœnitentiam adducent. Pœnitentia adeo levis, & imperfecta, qualis noſtra eſt, congruane eſt Divinæ Majeſtati? Poteſtne injuriam a nobis eidem illatam reparare? Breves aliquot preces, vagæ, & feſtinanter, & ſine ulla attentione prolatæ ullamne habent rationem cum magnitudine, & copia ſcelerum noſtrorum? Poſſuntne iſta delere? Leves, ignavæque ſatisfactiones noſtris ſimiles aliquamne habent rationem cum noſtra improbitate, ingratique animi vitio? Tantine ponderis ſunt, ut Dei valeant iram mulcere, veniamque impetrare? Id genus pœnitentia nonne potius eſt recens pœnitentiæ argumentum, ac materia ſufficiens, ut nova fiat pœnitentia? *Pater Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus.*

Cant. 2.

De pœnitentiæ mora.

Cum Mundi Principes aliquem ſua gratia privarunt, prope eſt, ut huic auferant maximum bonum, quo ille frui valeat ſub iiſdem; & vos ipſi intuemini, calamitoſos hos homines vix ſpiritum protrahere poſſe, poſtquam ex Dominorum ſuorum gratia exciderunt. Domorum ſuarum nitor, famulorum numerus, honorum magnitudo, quæ ſunt fortunarum ſuarum reliquiæ primæ illius gratiæ jacturam reparare non poſſunt. Principis indignatio ſupplicium eſt, quod omnes Philoſophorum rationes mulcere non poſſunt. Sed ſi quis reperitur, qui ſtoica quadam conſtantia, & gravitate jactitet, hoc ſibi nullo in diſcrimine eſſe infortunium tunc nihil eſt, quod potentiæ Principis majorem inferat injuriam vel magis illam irritet, quam iſte contemptus ſuæ gratiæ. Ita totam vitam in Dei odio traducere, & nullo inde affici mœrore, nulla tangi pœnitentia ob tanti hujus boni jacturam; nonne palam hoc eſt in ſe convertere læſi, fatigatique numinis iracundiam, tantam hanc negligentiam perhorreſcentis? Nonne hoc eſt procul ab illius aula, adſpectuque projici, & exterminari? Nonne hoc eſt illum perquiſitionibus, votiſque noſtris inexorabilem facere? Cur autem ille tandem graviſſimo animæ noſtræ ſupplicio in nos animadvertit, videlicet obſtinatione in peccato, & finali impœnitentia; niſi quod ad primos ſuæ gratiæ motus noſmet convertere abnuimus; quo facto noſmet Macedonianis ſimiles oſtendimus, qui per ſummam indignitatem tanta Spiritum Sanctum contumelia efficiebant, ut eum Dei famulum nuncuparent. Simili pacto cum illo noſmetipſos gerimus, ſi enim ad nos cum gratiis adventat, ut convertamur, cum hoc quaſi cum famulo noſtro agimus, eumque dimittimus, ut alio tempore cum gratiis ſuis ad nos revertatur. *Sermo Manuſcriptus.*

Ad perfectam peccatoris cōverſioné duo ſunt neceſſaria.

Duo Dei inimici evertendi ſunt in homine, a quo Deus laceſſitus eſt: 1. cor peccatoris: 2. peccatum. Cor perire debet per contritionem, mœroremque; peccatum vero per annihilationem. Cor hominis peccatoris annihilandum non eſt, maneat oportet, ut Deo ob ſcelera ſua ſatisfaciat; ita ut eſſentiam ſuam debeat retinere, ſed pravas qualitates amittere, & illas cordis peccatoris, rebelliſque contra Deum in eas cordis contriti, & propter peccata ſua humiliati convertere: *Cor contritum, & humiliatum, non deſpicies.* Peccatum vero omnino annihilandum eſt; & ratio eſt, quod in pœnitentia Deus largitur gratiam, & amicitiam ſuam homini, quæ cum peccato ſimul eſſe non poteſt. Ad id ergo opus eſt, ut pœnitentia peccatum annihilet. Per pœnitentiam peccator cum Deo gratiam ſarcire quærit: opus eſt, ut ſeſe converſurus ad Deum deleat peccatum, huic inimicum; quæ res ſane ex Dei parte gratiarum ipſius expetit communicationem; ex parte vero hominis gratiæ huic cooperationem. *Pater Antonius a Sancto Martino a Porta.*

Pſalm. 50.

Peccatoris cõverſus opus eſt infinitæ potentiæ.

Hæc duo ſunt opera maximi momenti, converſio, quam Deus fieri vult cordis humani peccatis inquinati, & converſio, quam peccator fieri cupit cordis Dei ad iracundiam excitati; duæ converſiones, quas Propheta verbis iſtis explicuit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Etenim quod ad primam pertinet, converſio humani cordis a Deo ſuſcepta magnum opus eſſe dicenda eſt, quippe effectus eſt omnipotentis miſericordiæ, & infinitæ juſtitiæ, Dei nempe. Effectum quidem hunc eſſe Divinæ omnipotentiæ docet Eccleſia dicens hæc verba: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miſerando manifeſtas.* Neque obſcura ſunt argumenta; 1. Deus enim veniam concedens ſe vere Dominum eſſe teſtatur, nullamque agnoſcit vim ſupra ſe, quæ prolatam ab ipſo ſententiam poſſit revocare. Quod privatus quipiam illatam ſibi dimittat contumeliam, inanis eſſet illius abſolutio, ſi magiſtratus, quem penes judicium eſt, non ideo minus nocentem plectit. Si magiſtratus, qui judicio præeſt ſalutari littera abſolvit dignum ſupplicio: Rex, qui ejuſdem ſuperior eſt, prolatam revocare poteſt ſententiam, & reum merita pœna mulctare. Si Rex ipſe pœnam remittit: Deus ſuper illum poſitus peccatori poteſt oſtendere, peccata coram hominibus antiquata, non eſſe coram ipſo deleta. Ita omnes hominum remiſſiones poſſunt revocari, ex defectu poteſtatis omnino abſolutæ, quæ in uno Deo reperitur: ubi vero Deus veniam concedit, irrevocabilis eſt illius gratia, quia ejus poteſtas nulli ſubjecta eſt poteſtati. Cæterum criminis venia effectus eſt ſupremæ potentiæ, quæ regia eſt auctoritas, quæ poteſt quidem punire ſcelus hac ſuppliciorum adverſitate per leges conſtitutum; ſed punitio non pertinet ad illius characterem; ad illam quippe attinet, non deſtruere, non perdere, ſed ſervare, atque tueri: quod vetus quidam auctor Divinum appellat; quia cum Reges puniunt, id agunt, quod humanum eſt; ſed cum parcunt, rem faciunt prorſus Divinam. Magiſtratus ſunt Judices ſubordinati, & a Regia auctoritate pendentes; ideoque punire tantum poſſunt, non parcere .... Dicere tamen poſſumus, cum venia ſceleribus permiſſa pulcherrimus ſit flos in regio diademate, eſſe tamen infirmum objectum Divinæ potentiæ; Reges enim poſſunt quidem pœnam crimini debitam remittere, numquam vero delere culpam, quod unius Dei eſt; & caſus Deo uni reſervatus. Ita Dei Filius videns Judæos muſſitare, quoniam ſibi facultatem eſſe affirmabat, dimittendi peccata, ut hanc in ſe poteſtatem eſſe probaret, ob oculos eorum miraculum operatus eſt curans Paralyticum: *Ut ſciatis, quia Filius hominis poteſtatem habet dimittendi peccata: dixit Paralytico: Surge.* Igitur venia peccatorum effectus eſt ſupremæ poteſtatis. *P. Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Seneca de clementia. *Matth. 9. & Marc. 2.*

Sicuti in carne regnat peccatum, ita in carne regnare debet pœnitentia.

Quocumque modo id intelligamus, nulla vera eſt pœnitentia ſine corporis mortificatione; & donec corpora noſtra poſt peccatum erunt impunia, donec non ſubibunt ſupplicia, quæ ſanctus zelus Deum ulciſcendi noſmet jubet nobis imponere, numquam cor noſtrum ſatis bene converſum erit, neque arbitrabitur Deus ſibi umquam ſatisfactum fuiſſe. Poſtquam Mundi Salvator pro nobis egit pœnitentiam non ſine adorabilis carnis ſuæ ſumptu, fieri nequit, Sanctus Auguſtinus ait, ut a nobis alia ratione agatur. Opus eſt ut in carne noſtra adimpleamus, quod per admirabile ſecretum providentiæ Dei deſunt paſſioni, atque ſatisfactioni divini hujus Redemptoris. Quandoquidem in noſtra carne regnat peccatum, ut Sanctus Paulus inquit, ita pœnitentia quoque in noſtra carne regnare debet; quoniam debet regnare ubicumque regnat peccatum. *Auctor Recens.*

In David pœnitente præclarum habemus exemplū ad imitandū.

David poſt converſionem ſuam actus pœnitentiæ ſpiritu nihil ob oculos ſuos videbat niſi Uriæ cladem, & dedecus fidelis hujus ſubditi thalamo illatum. Scelus ſuum indeſinenter verſabatur ob oculos ejus, & ipſe teſtatus eſt, non purpura, qua amictus erat, non victoriis, quas inceſſanter de ſemetipſo referebat, non ſua erga Dominum fide, non plauſibus, & laudibus, quibus a populo decorabatur, deleri unquam potuiſſe præteritorum ſcelerum memoriam, & effici, ut horrens illorum imago ex animo ſuo expungeretur. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Proh Deus! exclamabat ille, cum in mentem revoco multitudinem iniquitatum quibus obruebar, & quibus me liberaveras; cum repeto dies illos tenebrarum, atque caliginis, ea tempora infelicia, quibus ſanctiſſimam legem tuam prævaricatus ſum, *Conturbatum eſt cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.*

Pſalm. 37.

Ibidem.

Utique mœrore conficior, & omnes illecebræ, omnia lenocinia Regni, & ſolii mei nequeunt menti meæ hilaritatem adferre: *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis*. Tota regni mei gloria, & plauſus populorum meorum nequeunt in me amaram præteritorum criminum recordationem mulcere. Quid igitur tibi retribuam Domine pro tot muneribus, quibus me cumulaſti, tunc etiam cum infidelis tibi fui? Numquam dereliquiſti me. Quo magis me inimicum tuum profeſſus ſum, eo magis me favoribus tuis prævenisti. Tribuiſti mihi cor docile, mentem ad bonum proclivem, & ea nihilominus abuſus ſum. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Sermo qui Patris Maſſillon nomine circumfertur.*

Pſal. 115.

Pœnitentia ad omnes promiſcue peccatores pertinet.

Hic non eſt adulandi locus: pœnitentia omnibus propoſita eſt; ſummis æque ac imis, divitibus æque ac locupletibus, Dominis æqua ac ſervis. Cum Dei Filius dixit, eum qui per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratus non eſſet, numquam in regnum Cœlorum eſſe ingreſſurum, non auderent, puto, nobiles & divites affirmarem peculiarem pro ipſis appoſitam eſſe exceptionem, qua a Baptiſmi receptione diſpenſantur: & cum apud Sanct. Lucam addit, niſi egeritis pœnitentiam, ſimul omnes peribitis, putabunt, ſibi privilegia, atque exceptiones fuiſſe conceſſas licet hæc addita fuerit univerſalis propoſitio? *Abbas Boileau in quadrageſima.*

Pœnitentia efficit ut reparemus detrimenta, quæ per peccatum paſſi ſumus.

Cum pœnitentia ſit generale remedium contra peccata præterita, & præſentiſſimum medium ad Divinæ juſtitiæ læſæ ſatisfaciendum in ſingulas horas noſmet excitare debemus per actus ſinceræ contritionis, & perfectæ pœnitentiæ. Si qua gravi noxa facta fuerit gratiæ divinæ jactura, hæc tuto hac ratione ſarcitur. Nam licet vulgo dici conſuerit, poſt factum nullum adhiberi poſſe conſilium; & præterita mutari non poſſe, verum tamen eſt per pœnitentiam infectum fieri poſſe, quod factum eſt; & in illius poteſtate præteritum adeo poſitum eſſe, ut quæcumque patrata fuerint flagitia, vim habeat illa omnino obliterrandi, & peccatori de integro puritatem, & innocentiam, quas perdiderat, reſtituendi. *Ex diſcrimine inter tempus, atque æternitatem.*

Ineluctabilis eſt neceſſitatis, quia ſine illa nulla ſalus eſt.

Cum tot commiſerimus peccata, ex quo in lucem hanc editi fuimus, ineluctabilis neceſſitatis eſt, agere pœnitentiam; ſine qua nulla ſalus eſt ſperanda. Veritatem hanc Deus nobis in ſcripturis aperuit, neque de eadem licet ambigere, quod videlicet nihil coinquinatum in Sanctam Jeruſalem ſit admittendum: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*; ideoque duplex tantummodo in Cœlum patet via, innocentia, & pœnitentia. Quarum altera non eſt amplius in noſtro poteſtate poſtquam tot peccata commiſimus, quæ nos de beato innocentiæ ſtatu, in quo poſt Baptiſmum verſabamur deturbarunt: altera vero, nempe pœnitentia una ſupereſt: alioquin actum de nobis eſt, quemadmodum docet Filius Dei in Evangelio: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Neminem excipit. Omni peccator, vel in hac, vel in altera vita pœnitentiam agere; debet vel ipſe ex ſe pœnas repoſcere, vel expectare pœnam ſibi a Deo vindice in omnem æternitatem expetendam: *Omnis iniquitas puniatur neceſſe eſt: aut ab ipſo homine pœnitente; aut a Deo vindicante*. Sed duplex hoc pœnitentiæ genus quam maxime diſtat. Pœnitentia, quam damnatis irrogat Deus, æterna eſt, inutilis, amaritudine plena; ſed quam ſibi in hac vita pœnitens peccator infligit, brevis eſt, utilis, dulcedine, & ſolatio perfuſa, quemadmodum Sanctus ipſe Auguſtinus teſtatur: *Inter has querelas nimioſque ploratus, conſolaturus ades, ſolita pietate, Domine Deus. Conſiderationes Chriſtianæ.*

Apoc. 22.

Luc. 13.

D. Auguſt.

Quid proprie ſit agere pœnitentiam.

Damnari equidem nolo, dicet aliquis, ſed quoniam omnino neceſſarum eſt ad id agere pœnitentiam, quid eſt agere pœnitentiam? Eſt in æternum peccatis abrenuntiare; eſt æternum inſtituere divortium cum iis rebus omnibus, quæ in cauſa fuerunt, ut, ut divinæ gratiæ jacturam faceremus; eſt tanto ſcelerum noſtrorum dolore affici, ut certum ſit nobis numquam poſthac in culpam incidere; eſt ſecedere ab iis omnibus, quæ nobis eſſe poſſent recentis lapſus occaſio, licet nihil illis eſſe nobis poſſit antiquius, ita ut ſi noſter oculus, vel manus nobis offenſionis extiterint cauſa, hic oculus eruendus; & hæc manus abſcindenda, projiciendaque ſit: *Si oculus tuus ſcandalizat te: abſcinde eum, & projice abs te*. Videlicet omnia relinquenda ſunt, quæ nos in ſcelus perducere poſſent, licet nobis æque jucunda, acceptaque eſſent, ac manus, & oculus. Pœnitentiam agere eſt, vitæ rationem inſtituere prorſus oppoſitam illi, quam antea ſequebamur; odiſſe quidquid antea cum peccato amabamus, & amare quidquid antea perperam oderamus, quantumvis hoc grave, aut moleſtum corruptæ naturæ eſſe valeat. Verbo, eſt creaturam relinquere, ut ad Deum revertaris, quemadmodum flagitioſe vivens deſerueras Deum ut creaturæ adhæreres. Agere pœnitentiam eſt pro peccatis ſuis Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, & quantum eſt in nobis illatam Divinæ gloriæ contumeliam reparare. Hæ autem ſatisfactiones ad jejunium, preces, & eleemomoſynam rediguntur. Hoc eſt agere pœnitentiam; ullamne umquam huic ſimiles egimus; an ſaltem in illius agendæ voluntate verſamur? Numquid aliqua nobis hæret culpa, cui velimus ignoſcere? Scrutemur imam cordis noſtri partem; quot ſinus adhuc, & ambages inviſendæ, & expiandæ in hoc vitiorum omnium ſterquilinio? Num noſmetipſos fefellimus velleitates, & inefficacia deſideria pro ſincera noſmet convertit voluntate, ſinceraque pœnitentia ſumentes? *Chriſtianæ conſiderationes.*

Matth. 7.

Cordis vere contriti ſenſus.

Nihil certe melius oſtendit pondus miſericordiæ Dei in anima pœnitente, quam intueri plurimos peccatores ſibi fortaſſe præteritorum criminum conſcios, adhuc miſeræ ſorti deditos, donec illa ex corruptionis maſſa educta eſt, & a Deo ad ſanctitatem vocata. Nihil hoc æquiorem animi grati ſenſum ciet. Tunc incomparabili hoc beneficio cumulata, ſanctæque humilitatis ſpiritu rapta clamat: Quid in me reperiſti Domine Deus tot gratiis, & favoribus dignum? quid in me erat præ tot aliis, niſi plus miſeriarum, ac plus reſiſtentiæ gratiæ tuæ? Quid feci, ut me præ aliis tot bonis ornares? Heu! cum me de præcipiti abyſſo, in qua alte demerſus, eram, eduxiſti, id minime præ cæteris merebar; fueram infidelis in muneribus meis, ſurdus afflatibus tuis, & validis luminibus tuis cœcus. *Ex Sermone, qui P. Maſſilon acceptus, fertur.*

Pœnitentiæ ſpiritus cum pervaſit cor tres operantur effectus.

Non ſatis eſt externam habere pœnitentiæ ſpeciem, ſpiritus habendus eſt. Nihil vulgatius erat hoc ſpiritu pœnitentiæ primis illis temporibus, quibus integritas morum illum minus neceſſarium reddebat; hodie vero nihil infrequentius eſt, cum motum corruptio illum omnino neceſſarium eſſe teſtatur. Ubi ſpiritus hic potitus eſt corde, ibi certe tres hoſce producit effectus; quorum primus eſt ſincerum deſiderium ſatisfaciendi Deo, affligendo cor ſuum, caſtigando corpus, ſenſus, & incompoſitas animi affectiones mortificando. Pœnitens reſpicit cor ſuum tamquam rebellionis hujus auctorem, per quam omnes illius facultates in Deum inſurrexerunt: ideoque ductus amore Dei, ac dolore numinis læſi, clamat: *Crucifigatur, reus eſt mortis*. Cor iſtud crucifigendum eſt vivo, & jugi dolore; ſexcentorum ſcelerum reus eſt; ad illud puniendum, opus eſt, ut per ſinceram contritionem omnibus criminibus moriatur. Reſpicit corpus ſuum tamquam rebelle mancipium, quod a Domino ſuo defecit; ideoque tantum abeſt, ut illi indulgeat, ut ſe numquam ſatis dure cum eodem agere poſſe arbitretur. Hinc illud mortificare cupit jejuniis, vigiliis, ciliciis, aliiſque adinventionibus, quas pœnitentiæ ſpiritus ſuadet iis, qui eodem affecti ſunt. Heu! indulgentia, qua noxiam carnem fovemus ſatis oſtendit, nos nequaquam hoc pœnitentiæ ſpiritu animari. Alter effectus, quem in corde parit ſpiritus pœnitentiæ, amor eſt ſolitudinis, & deſiderium a mundo recedendi. Pœnitens mundum, & periculoſas, quæ in mundo ſunt occaſiones, quæ lapſuum ſuorum extitere cauſa eodem reſpicit cum timore, & horrore, quo ſpectantur ſcopuli, in quos alliſus naufragium eſt paſſus. Illos evitare ſtudet propria edoctus experientia, quanta ſit imbecillitas, & corruptio ſui cordis, & quam parum ſibi ſit in propria virtute confidendum. Credit ſe non poſſe invenire ſecuritatem niſi in fuga, & ſeceſſu. Novus pœnitens reſpicere debet cor ſuum tamquam facem extinctam quidem, ſed adhuc fumigantem, quæ ſtatim iterum accenditur, ubi ad flammam fuerit admota, videlicet ad adſpectum objectorum, quibus fuerat inflammata. Spectare debet virtutem ſuam veluti florem nuperrime effloreſcentem, quem ventus, aut minimus ſolis ardor exurit. Denique anima, quam tetigit Deus, & quæ ſeſe convertendi deſiderio tenetur, recedere debet, ſeſe recipere ut agnoſcat cordis ſui corruptionem, ſcelerum ſuorum vim, & enormitatem, & funeſta vincula, quibus adſtringi paſſus eſt, ut coram Deo ingemiſcat, ut principium tot malorum agnoſcat, iiſque applicet remedia. Si pœnitentiæ motus, quos nobis inſpirat Deus adeo parvum habent effectum, num in cauſa eſt quod negligimus ſecedere a mundo, qui effecit, ut illos amitteremus? Tertius effectus, quem in corde gignit ſpiritus pœnitentiæ eſt orationis frequentia. Anima pœnitens, quæ videt, ac ſentit paupertatem ſuam, ſuam proclivitatem in malum, ſuam impotentiam,

Pſal. 2.

tentiam, ac repugnantiam in bono facile intelligit neceſſitatem, in qua eſt divini ſubſidii, & gratiarum Dei, ut iiſdem fulciatur: & quanam alia tutiori, certiorique via illas obtinere poteſt, quam per orationes? Ceterum nulla oratio apud Deum potentior eſt ſecreto hoc animæ gemitu, præterita plorantis mala, præſenteſque miſerias, & Deum deprecantis triſti quidem ſilentio, quod tamen facile auditur, ut illa quidem ſibi dimittantur, ab his vero liberetur. Quid porro magis decet pœnitentem animam, cujus jugis occupatio eſſe deberet coram Deo gemere, & cum Propheta exclamare: *Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus a te non eſt abſconditus?* Præſta nobis, Domine, hunc orationis ſpiritum; qui ſemper eſt cum gratia conjunctus, quæ in nos miſericordiæ tuæ detrahit effectus, quibus quam maxime indigemus, noſque inſignes peccatores in pœnitentes inſignes convertit. *Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Pœnitentia non conſiſtit ſolum in recitandis aliquibus orationibus, ſed agitur de effectibus.

Facite dignos fructus pœnitentiæ, dicebat Præcurſor Filii Dei. Quod ille Judæis olim, hoc ipſe Chriſtianis omnibus dicit. Ibi nullum eſt verbum, quod notandum non ſit. *Facite*, non igitur ſatis eſt dicere pœnitentiam, ſed facienda eſt. Plures quidem pœnitentias dicere videntur, facere autem pauciſſimi. Omnes fere pœnitentiæ hodierna die ad verba dumtaxat rediguntur; ſed ubinam ſunt effecta? Recitantur contritionis formulæ, quarum cor expers eſt: hæc ſunt verba. Profitemur nos vitæ rationem immutare velle, & converti, quin hoc umquam opere compleamus; hæc ſunt verba. Recitamus quidem quaſdam vocales preces, quas Confeſſarius nimis fortaſſe indulgens nobis recitandas imponit, pœnitentiæ loco: hæc ſunt verba; ſed ubi effecta ſunt? Hæc nuſquam videntur. Nonne huc omnis pœnitentia noſtra redigitur? Quid autem ſunt verba, ſi ſola ſint, niſi ventus? Quid ergo in illis fidendum eſt, ut peccatorum noſtrorum veniam conſequamur? *Idem.*

Præſtat in hoc mundo, quam in alio agitur de effectibus.

Neceſſario in hac vita, vel in alia pœnitentia facienda eſt. Utrum mavis? Elige, donec licet; tempus aderit quo minime licebit, licet velis. Vitæ hujus pœnitentia non eſt diuturna, quia numquam vitæ tuæ terminos excedit, quæ ſemper eſt breviſſima. Quantumvis hæc ſit auſteriſſima, ſemper tamen levis habenda eſt, ſi eam conferas cum inferno, quem meritus es, cum peccatorum, quæ commiſiſti multitudine, cum Dei a te læſi magnitudine. Perutilis eſt, una enim lacrymula, quam ſincera elicit pœnitentia, Deum lenit, nos a peccato liberat, nobiſque æternam felicitatem procurat; ſed damnatorum pœnitentia modo caret, quandoquidem illos omnibus bonis privat, omnia illis infert mala; diutina eſt, non enim alium habet finem, quam æternitatem; inutilis etiam, non enim delet peccatum, neque a pœna, quæ illi ſubſequitur, liberare nos poteſt. Utra videtur tibi anteferenda? *Idem.*

Quodnã eſſe debeat propoſitum pœnitentiæ.

De fide eſt pœnitentiæ propoſitum præſtantiorem eſſe debere omnibus deſideriis, ac timoribus, quibus voluntas ſuapte natura fortaſſe movetur: ſi enim in corde unus eſſet timor, vel unum deſiderium, quod vel æquaret, vel ſuperaret illud propoſitum, jam hoc non eſſet propoſitum ſalutaris hujus pœnitentiæ, quæ ſalvum facere debet peccatorem. Hæc inſignis veritas, & ratio, quam afferunt Patres eſt, quod pœnitentia, qua juſtificamur, nobis immittere debet horrorem peccati, qui æque perfectus ſit ac amor, & timor, quo proſequimur Deum. At ut legi ſatisfiat, non ſufficit Deum amare, & vereri; ſed ſummopere amandus, ac timendus eſt, videlicet ſuper omnia: ita ut contritionis menſura repleatur, non ſufficit peccatum odiſſe, & deteſtari, ſed opus eſt ut illud præ cæteris mundi malis oderimus, ac deteſtemur; & ſi odium, quod concipimus eo uſque non procedit, fruſtra contendimus per hoc Deo ſatisfacere, eique placere. *Pater Bourdalove in Dominicis.*

Quid ſit vere agere pœnitentiam.

De ea loquor pœnitentia, quæ parit in corde duraturam, conſtantemque mutationem, quæ efficit, ut peccatum oderimus ad illius habitus deſtruendos, ad illius occaſiones fugiendas, ad infringendas cupiditates, quæ illius ſunt origo; de ea pœnitentia, quæ efficit, ut peccator jam converſus, & ad bonam frugem reverſus dicatur; de ea tandem pœnitentia, quæ pacem producit in corde, & quæ eſt æquiſſima ad ſalutem acquirendam prærogativa. Hæc illa eſt pœnitentia, quæ raro in hominibus inveniri dicitur, raroque invenitur. Plerique peccatorum aliquando ſaltem confitentur peccata ſua; ſed licet tunc facerent, quæ facienda ſunt, ut juſtificentur, ſi paulo poſt iterum in eadem flagitia labuntur, hæ paucorum dierum mutationes, hæc innocentiæ momenta pluribus peccatorum annis permixta, merenturne nomen pœnitentiæ? inde ne jure ſalutis ſpe concipi poteſt. Infernus plenus eſt illis, qui hoc pacto egerunt pœnitentiam. *P. Segneri in Meditationibus.*

David non oblitus eſt peccati ſui licet dimiſſi: nos vero ac obliviſcamur noſtrorum, eaque plorare non ceſſemus.

Ubi David peccatum ſuum confeſſus Prophetæ Nathan dixit: *Peccavi*, reſpondit illi Propheta, tranſtulit a te Dominus peccatum tuum. Poſt adeo apertum reſponſum dubitare non poterat David, utrum ſibi crimen ſuum remiſſum fuiſſet; tamen petit adhuc deinceps, ut ſibi remittatur; in hoc urget, hoc inceſſanter perſequitur; non quod timeat ſe veniam non obtinuiſſe, ſed deſiderio illam ſemper in dies perfectius obtinendi, ut *ubi abundavit delictum, gratia ſuperabundaret*. Hoc eodem conſilio ſibi nequaquam ſatis eſſe putat Dei miſericordiam imploraſſe, obteſtatur etiam Deum, ut ſibi *ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum* indulgeat. Videlicet hic Rex peccati ſui petit remiſſionem per omnia miſericordiæ opera, quæ Dominus exercuit; quoniam opera eadem & varietate, & multitudine infinita, numerari non poſſunt: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Dici hic quoque poteſt David licet certum veniæ peccati ſui ab eadem efflagitanda non ceſſare, ut doceat, quid faciendum ſit nobis, qui non ſolum certi non ſumus crimina noſtra nobis fuiſſe dimiſſa, ſed qui tot habemus de hac re cauſas dubitandi. Ne credamus, proprias recogitare iniquitates illorum eſſe tantum qui Deo ſervire incipiunt. Rex Propheta, qui Deo erat adeo acceptus, jugiter ob oculos gerebat ſcelus ſuum: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*. Non dicit quidem; *adulterium meum contra me eſt ſemper*; quia quædam flagitis generatim potius, quam ſingillatim ſunt memoria repetenda; verumtamen ſe peccaſſe numquam obliviſcitur. Ita quantumvis juſtus, perfectus, ſanctuſque ſis, licet David ipſum ſanctitate æquares, opus eſt, ut uſque ad vitæ finem, memineris infirmitatum tuarum, eaſque lacrymas eluas. *Idem.*

ad Rom. 5.

Pſalm.

Pſalm. 144.

David ſẽper ob oculos habet peccatum ſuum.

Peccatum David juge auctori ſuo bellum inferebat: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*. Illud ſemper verſatur ob oculis ejus, eique ſemper ingrati animi vitium refricat. Severus eſt cenſor, cujus in ſingula momenta amariſſima ſuſtinet probra, quæ numquam ei quietem permittunt, quæ jugiter illius animo occurrunt, quæ illum laceſſunt: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*. Poterat quidem David intuitum negare objecto moleſtiſſimo; ſed illi placet hoc adſpicere, & conſiderare, quoniam hæc æterna erit cauſa ſui ruboris, doloris, & vigilantiæ. Sed cur peccatum tuum in te vim eamdem non habet? Quia tantum abeſt quod illud tuis oculis tibi ſubjicias, ut imo in id unum intendas, ut quam procul ipſum a ſua mente, animoque ſemoveas. *P. Segneri in Meditationibus.*

Dolor ob læſũ Deum & ſpes in Dei miſericordia.

Peccavi, Domine; ſed numquam peccati mei obliviſcar: nolo amplius ulla re affici, niſi patrati hujus criminis dolore, & voluptate, quam ex ſpe veniæ obtinendæ percipere poſſum. Scio, Domine, quam indignus ſum hac venia, ſed hanc peto ad extenſionem miſericordiæ tuæ. Ut miſerearis mei, nil minus requiritur, quam tota miſericordia tua; ita olim precabatur te Rex Sanctus pœnitens; cur mihi non ſunt illius ſenſus, & dolor? Numquid enormitatem peccati mei non agnoſco? Numquid ignoro funeſtum illum ſtatum, quo me adduxit, & miſeram meam proclivitatem in malum, quam in meo corde reliquit? Quid ergo moror, ac non ſtatim illud pœnitentiæ lacrymis eluo? Debeo quidem peccatis meis has lacrymas, & hæc pœnitentiæ exercitia, ſed tuum eſt Domine, efficere, ut has fundam lacrymas, & ſanctas haſce auſteritates amplectar per gratiam tuam. Tuum eſt, abluere, & mundare me a peccato meo. A te ſupplex peto hanc pœnitentiæ gratiam, eique fidelis ero. Per illam ne pereat in me ſceleris mei memoria, ut illud inceſſanter deteſter, ſemperque ſalubrem hanc memoriam fallacibus, atque inutilibus omnibus mundi gaudiis anteferam. *Idem.*

Veræ pœnitentiæ ſatis non eſt dolore peccatorũ ſuorũ affici: petit, ut peccata expientur.

Ad fidem non ſufficit credere ex corde, niſi ore fateamur. Hoc conceptis verbis Sanctus Paulus docet; cui addo ſecundum ejuſdem Apoſtoli doctrinam, ad veram pœnitentiam non ſufficere cor contritum, & humiliatum, niſi peccator ſimul offerat Deo in hoſtiæ formam carnem cum corruptis cupiditatibus ſuis mortificatam. Tale eſt, Sanctus Gregorius Pontifex ait, officium hominis, qui cum conſtet anima, & corpore, anima quidem ſpirituali, ac prorſus cæleſti, corpore vero terreſtri, ac pœnitus materiali, debet utroque Deum colere, ſi exhibere vult Deo rationabilem cultum, in quo integritas Religionis conſiſtit. *P. Bourdalove in veris Sermonibus ſuis.*

Ejuſdem argumenti.

Eximium principium, quod re adhuc integra ſuppono,

no, & unde argumentor, pœnitentiam chriſtianam late ſumptam, duplex eſſe ſacrificium, quod Deus exigit a nobis. Sacrificium ſpiritus, & ſacrificium corporis; ſacrificium ſpiritus per contritionis humilitatem, & ſacrificium corporis per externam ipſam ſatisfactionis auctoritatem. Sacrificium ſpiritus, ſine quo, quemadmodum Gentium magiſter docet, nil prodeſt corporis ſacrificium; & ſacrificium corporis, ſine quo ſpiritus ſacrificium plerumque eſt illuſio, & phantaſma coram Deo. Itaque utriuſque hujus ſacrificii conjunctio eſt omnino neceſſaria, ut perfectum fiat holocauſtum de quo loquor, & a quo integra pendet hominis peccatoris reconciliatio cum Deo. *Id.*

Quo zelo priſci Chriſtiani puniebant in ſe minora peccata.

Quid admirabilius ſanctis illis indignationibus, quibus primi Fideles ſibimet iraſcebantur? quæ ſalutaria ſuſpiria inceſſanter effundebant in cœlum; Quibus curis intrinſecus urebantur in corde, cum ob ſcelus aliquod ſauciatam gerebant conſcientiam? Quibus doloribus conficiebantur criminis unius recordatione? Nihil illis ſolatio eſſe poterat, niſi mortificatio; neque ullam invenire poterant pœnam, quæ ſceleribus ſuis par eſſe poſſet. Dies noctesque in ferventi oratione traductæ nequaquam ſatis eſſe poſſe videbantur ad illa delenda. Pro nihilo habebant arctiſſima jejunia, quæ cum ſumma ſeveritate obſervabant, tantum cibi ſumentes quantum ſatis eſſet ad vitam alendam, quam ideo tueri volebant, ut diutius producere poſſent pœnitentiam. Quod ſi poſtquam in cinere & cilicio ante Eccleſiæ fores ſteterant plures annos perenni gemitu peccati lacrymis jam diluti veniam deprecantes, contingebat, ut hæc ipſis venia concederetur, eam ſpectabant tamquam gratiam, qua ſe indignos eſſe cenſebant; & ne ſecundo plorare tenerentur lapſum, leviſſimas etiam peccati occaſiones vitabant. Voluptates honeſtiſſimæ illis periculoſæ videbantur, & licet per pœnitentiæ magnitudinem primam morum integritatem reparaſſent, tanto ardore, & conſtantia perſeverabant in ſemet mortificare, id quod effecerat, ut ſemel peccarent, ut ſæpe fierent puriores, & ſanctiores illis, qui numquam in ſimiles noxas inciderant. *Sermo* 1. *Accademiæ anni* 1667.

Impius Antiochus falſæ pœnitentiæ exemplum.

Tantum ſimilitudinis falſam inter, veramque pœnitentiam intercedit, ut Deus unus, qui cordium ſinus rimatur, illas diſtinguere valeat. Quinam dolor majorem veritatis ſpeciem præſetulit, quam impii Antiochi, qui pollicebatur ſe Jeroſolymitano Templo reſtituturum quidquid abſtulerat; neque id ſemel, ſed decies tantumdem? Qui adeo præclaras proteſtationes effecerat, & qui profunde adeo ſe humiliare videbatur? *Orabat ſceleſtus hic ad Dominum, a quo miſericordiam non erat conſecuturus.* Seſe cum lacrymis, & ejulatibus humiliabat, idque palam coram omnibus exercituum ſuorum ducibus, atque præfectis. Confitebatur crimen ſuum, & recipiebat, ſe protectorem futurum populi Dei, quem hactenus fuerat perſecutus. Volebat purpuram, regnumque abjicere, ut præco fieret mirabilium Dei. Cupiebat etiam in Judæorum ſacra tranſire, & hanc amplecti religionem, quæ una tunc erat vera. Quem hæ rerum ſpecies non fefelliſſent? Quis non crediſſet veram eſſe hanc illius pœnitentiam? Et nihilominus Deus illam abjecit. *A quo miſericordiam non erat conſecuturus. Auctor Recens.*

1. Mach. 9.

Pœnitentia quamdam ſtatuit æqualitatis ſpeciē Deum inter, & hominē.

Pœnitentia eſt effectus pendens a Divina juſtitia; cum enim per peccatum læſus fuerit Deus, injuria reparanda eſt, & Deo ex aſſe eſt ſatisfaciendum: & proprie loquendo læſa Dei juſtitia injuriam hanc delere non poteſt, neque hanc inæqualitatem redigere ad æqualitatem niſi per pœnitentiam. Etenim id pono, quod verum eſt, morientem in peccato illud retinere & in eodem perſiſtere in inferis in omnem æternitatem; donec Deus erit Deus, ſemper hoc peccatum committet. Ignes, carbones, flammæ, juſtitia Dei; facite quodcumque vultis in reprobo peccatore, numquam certe peccatum ejus delebitis. Illud in æternum puniam, dicet juſtitia Dei; ego vero, reſpondebit anima damnata, tibi in æternum maledicam. Te æternum odio perſequar, dicet peccatori Deus; ego vero, peccator reddet, te in æternum execrabor, & perhorreſcam. In æternum meam in te ultionem perſequar, dicet Deus; ego vero evomam in æternum maledicta rabiemque meam contra te. Ita juſtitia non delet unquam, ſed ſemper punit peccatum in Inferno. Deletur vero per pœnitentiam; hæc enim ſeparans peccatoris voluntatem a creatura, cui adhærebat; illam iterum cum Creatore, a quo peccator receſſerat, conciliat: cumque peccator infernum promeritus ſit, efficit, ut ille quidem ulterius non reformidet, ut illuc cadat; ſed ille ſibimet faciat infernum ad offenſam reparandam, ac ex integro reſtituendum Deo, quod illi debet. Cum vero infernus ſit omnium malorum ſentina: *Irruet ſuper eos omnis dolor.* Ita pœnitentia reddit cor inexplebile, ac induſtrium in excogitandis pœnis, quibus ſe ipſum torqueat in mundo. Punies me, Domine, in inferno tamquam inimicum; hic autem mirifice facis, ut ego in memetipſum animadvertam novis artibus pœnitentiæ. Hinc induſtres tot Sanctorum pœnitentias intuemur. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Job. 20.

Sincera peccatorum noſtrorum confeſſio.

Ubi mecum reputo præteritæ vitæ meæ flagitia, quam terribilis peccatorum vis occurrit animo meo, quorum nondum egi pœnitentiam! Qua ratione mulcere poſſum Dei juſtitiam? Licet unum tantummodo ſcelus patraſſem: totum vitæ meæ ſpatium, quantumvis diuturnum, nimis fluxum eſſet, & breve ad pœnitentiam agendam. Quid autem erit poſt tot annos in habitu peccati traductos? Temet ulciſcere, Domine! Peccatorem hunc, a quo toties laceſſitus fuiſti, ſtatim puni, neque differas in diem ultionum tuarum tuas animadverſiones. Ecce tibi ſanctæ legis tuæ prævaricatorem inimicum gloriæ tuæ cupiditatum ſuarum mancipium; hominem in vitium pronum, virtuti oppoſitum, pœnitentiæ oſorem, tuæ gratiæ rebellem. Ecce illum ad pedes tuos provolutum, ſincere ſua fatentem crimina, ac ſemet ſubjicientem omnibus ſuppliciis, quæ eidem irrogaveris. *Peccavi*, utique ego toties te affeci contumelia. Mereor juſtiſſimam damnationis ſententiam, quam feres adverſum me, niſi oculis miſericordiæ tuæ me reſpexeris. Non dignus ſum, qui in filiorum tuorum numero recenſear; nomine adeo glorioſo dignus non ſum. Satis eſt, ut me veluti profugum ſervum tuum putes, cui tamen veniam largiri digneris: *Jam non ſum dignus vocari filius tuus: ſed fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Chriſtianæ conſiderationes.*

Luc. 15.

Propoſitum pro virili deinceps expiandi peccata noſtra.

Nimium differs, Domine, animadvertere in peccatorem æque improbum, ac ego ſum. Volo deinceps me tibi æquiorem probare. Excipe tantum pœnitentiam, quam ſuſcepturus ſum ad reparandam contumeliam, qua infinitam majeſtatem tuam affeci. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte?* Reliquo vitæ meæ ſpatio lacrymis eluere volo factum, quo tibi diſplicui. Abrenuntio huic ſceleri, cui nimis adhærere viſus ſum, & cujus tandiu expectas, ut offeram tibi ſacrificium. Illi ex toto corde abrenuntio, illi in omne tempus abrenuntio. Sed quod reus crimen ſuum deteſtetur, non ſatis eſt; opus eſt, ut ſicut oblectatus ſum Deum lædens, ita nunc pœnitentiæ ſeveritatem experiar. Ex hoc ipſo temporis puncto polliceor, me non ægre neque gravate laturum, quidquid me pati volueris. Præterea in me ipſum quoque ultro animadvertere volo. Quæcumque mihi occurrent occaſiones voluptate aliqua perfruendi; eamdem mihimet interdicam, ut juſtitiæ tuæ in pœnitentiæ ſpiritu ſatisfaciam. Ita vitam moreſque meos volo inſtituere, ut nihil ſit, quod egomet mihi poſſim objicere. Reparare volo ſcandalum, quod pravis exemplis meis præbui. Cum autem quidquid facere poſſum exiguum eſt, tibi in ſatisfactionem offero paſſionem, & mortem Filii tui. Intuere mala, quæ pertulit, & dimitte peccata, quæ ego commiſi. *Ibidem.*

Jerem. 9.

Pœnitentiæ Spiritus.

Anima pœnitens libenter quærit ſolitudinem, a ſæculi corruptione recedat.

NOn poſtremus inter eos motus, quos ſpiritus pœnitentiæ inſpirat animæ, quam tetigit Deus, & quæ ſincero flagrat ſeſe convertendi deſiderio, amor eſt ſolitudinis, ſeu quod hæc illi tempus, locumque ſuppeditat effundendi cor ſuum coram Deo, nec non libertatem lacrymis, ſecretiſque gemitibus, quibus vitæ præteritæ flagitia perſequitur: ſeu quod reſpiciens Mundum, & occaſiones, quæ in Mundo paſſim occurrunt, quæ illam in tot flagitia impulerunt, & extiterunt cauſa lapſuum ſuorum, cum eodem timore, ac tremore, quo calamitoſus intuetur ſcopulos, in quos alliſus fecit naufragium, illos evitare conatur: ſeu quod edocta funeſta experientia cordis ſui corruptionem, voluntatis ſuæ imbecillitatem, ſuæque virtutis fragilitatem, putat ſe nullibi in tuto eſſe poſſe, quam in fuga, & ſolitudine. Hac de cauſa pœnitens peccator præ deſiderio pro viribus ſatisfaciendi Divinæ juſtitiæ, ſolerter evitat omnes ſodalitates, quibus ab hoc ad eo ſancto conſilio poſſet deterreri. Hinc ille vias omnes ſcrutatur in Dei gratiam redeundi, ac in ſe magis, magiſque confirmandi; nimis beatus ſi per pœnitentiæ mortificationes ſe ipſum confirmare poſſet in recta via ſalutis, æternæque felicitatis. *Societas ad petendum a Deo amorem Domini noſtri.*

Qui verum non habet peccatorum dolorem ſenſim dureſcit.

Si quando accidit, ut ſcelera noſtra mente repetamus; memoria hæc non permanet diu; mens ſtatim evagatur ad alia cogitanda: vix intra horam nos pœnitere poteſt ſcelerum noſtrorum, eorumque affici dolore. Hinc peccata peccatis agglomeramus, quia non ſatis nos eorum pœnituit, quæ patravimus; non laboramus admodum, ut illa confiteamur; & quomodo hoc fieri poſſet quandoquidem vix eorum reminiſcimur? Ita contemnentes peccata noſtra induramur? cumque nullo affecti ſimus dolore primorum ſcelerum, haud ægre veteribus addimus recentia. Cum enim nullis agitamur ſtimulis, & quieſcimus, quaſi nihil eſſet nobis metuendum; nullum ſcelus eſt, cui pares non ſimus, neque ultra reliqua eſt ulla ſpes ex cœno emergendi. Cum nullus eſt metus, nullus dolor, nullum probrum, nulla pœnitentia, ſpes etiam nulla eſt. *Ex Opuſculis Sancti Chryſoſtomi.*

Unus pœnitentiæ ſpiritus non eſt flere ſua mala, ſed ſua peccata.

Vera pœnitentia nequaquam in eo tantum ſita eſt, ut ingemiſcas, plores, ac te ipſum torqueas. Plurimi mœrent, & conqueruntur; ſed de ærumnis ſuis, terreniſque malis, de adverſa fortuna, de abjectis exercitationibus, quibus generis ſui humilitate addicti ſunt. Miſera quidem hæc vita eſt; dolore confici non ob peccata ſua, ſed ob infortunia. In miſero hoc triſtique ſtatu nullum cœlitus expectari poteſt ſolatium? laboratur ſine merito & citra aliquam ſpem mercedis. Quam felices eſſemus, ſi quod ex neceſſitate patimur, libenter pro noſtris ſceleribus, & propter Jeſum Chriſtum ſuſtineremus! Procul dubio jugum illius ſuave, & onus leve nobis videretur; & per fluxas, facileſque pœnas beatitudinis æternitatem mereremur. Veri pœnitentes invicta conſtantia omnes ſuperant difficultates, a ſe amovent quidquid zelo eorum in hac via naturæ permoleſta adverſatur. Animæ magnæ, quæ vere quærunt præteritæ vitæ mala reparare, licet multa ſint ardua, & aſpera in anguſta pœnitentiæ via, omnes ſuperant difficultates, & omnes pro virili conatus exerunt, ut divinæ juſtitiæ ſatisfaciant. Hic verus eſt pœnitentiæ ſpiritus. Hoc pacto expediti omni timore, & affectu rerum terrenarum ingredimur in arctam hanc viam, in hanc viam pacis, donec perveniamus ad illius pacis ſedem, quæ in omnem beatam æternitatem eſt perventura. *Card. Bellarm. de gemitu Columbæ.*

Deſcriptio bonitatis divinæ erga peccatorem exhibita in patre Filii Prodigi.

Quinam ſunt veri ſenſus animæ vere pœnitentis? Prodigi Filii ad Patrem reditus, ejuſque circumſtantiæ eos nobis palam oſtendunt. Reditus illius ſtatim conſilium redeundi ſubſequitur. *Surgam*, & ſurgit. *Ibo ad Patrem meum*, & ecce jam ſe ad illius pedes proſternit. Quælibet mora, ubi de pœnitentia agitur, pernicioſa eſt: pœnitentiam non agit, qui procraſtinatur. *Cum adhuc longe eſſet*: Deus hic ſeipſum deſcribit; poſtquam deſcripſit Filium, & pœnitentem. Non ſolum hic Pater nihil exprobrat Filio, quod ſuaviſſimi etiam mortalium faciunt: vix illi præbet ſpatium confitendi peccata ſua, cum cito ſibi jubet proferri *Stolam primam*. Ita ſeſe gerit Deus erga pœnitentem: præteritorum obliviſcitur; ab eo nihil ultra peccatori metuendum eſt: gratia omnem dulcoravit amaritudinem. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus &c. Tomo 2.*

Luc. 15.

Pœnitentiæ Felicitas.

Non deeſt quodam felicitatis genus in via pœnitentiæ.

CUm Mundi hujus vita infortuniis, ærumniſque perturbatur, lacrymis obortis noſtris mala proſequimur: ſed heu! inutiles hæ lacrymæ ſunt, neque adempta nobis bona valent reparare. Lacrymæ vero, quas acer, vividuſque peccatorum noſtrorum ciet dolor, exitum habent toto cœlo beatiorem. Habent enim vim delendi omnes iniquitates noſtras, ac nos in eum reſtituendi felicem filiorum Dei ſtatum, unde per ſcelus excideramus. Peccati magnitudo, & veniæ ſpes duæ ſunt æque validæ cauſæ ad eliciendas ex peccatoris oculis lacrymas, eumque ad pœnitentiam impellendum. Si illis vis ineſt eluendi crimina; ſi ſaluberrimum ſunt pharmacum, cujus ope peccator ablatam ſibi nanciſci valeat ſalutem: nihil ultra requiritur, ut intelligamus de qua felicitate loqueretur Dei Filius, cum diceret: *Beati qui lugent*. Jeſus Chriſtus lugentes beatos vocat, *quoniam ipſi conſolabuntur*. Facile eſt intellectu eos qui pœnitentium more vixerint ſuper terram, gaudio repletum iri poſt vitæ hujus ſpatium. Triſtes quidem eritis, ait illis, ſed triſtitia veſtra mutabitur in gaudium. Hæc autem felicitas pro illis non eſt, qui lugent jacturam bonorum temporalium, pinguium prædiorum, honorum, & dignitatum; pro illis tantum eſt, qui Divinæ gratiæ jacturam fecerunt. Cor illorum gaudio replebitur, cum ſupremi boni poſſeſſio finem fecerit tot mœroris occaſionibus, quæ catervatim illi occurrunt, verum eſt, ſed in hac quoque vita animæ ſanctæ, humiles pœnitentes identident eas delicias, quibus fruitur anima fidelis gratiæ, & quæ contendit præteritæ vitæ flagitia auſteritatibus, & mortificationibus, quæ præſentem ſuum ſtatum decent. Pœnitens terrenas haſce voluptates relinquens aliqua perfunditur voluptate; lacrymas fundens, gaudet; & ipſæ etiam mortificationes ipſi in delicias commutantur ita ut dicere poſſit cum Sancto Paulo: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea. Lambert in Anno Evangelico Tomo 7.*

Matth. 5.

2. Cor. 7.

PRÆCEPTA DEI.

EORUM OBSERVANDORUM OBLIGATIO, OBEDIENTIA LEGIBUS SUPREMI HUJUS LEGISLATORIS DEBITA.

MONITUM.

HOc in loto de divina lege non loquimur niſi quoad mandata, quæ continet, eorumque obſervandorum obligationem. Ideoque de obedientia generatim, de qua alibi ſermo fuit, verba minime facimus, neque de Evangelicis inſtitutis, quantumvis pleraque totidem præcepta ſint. Argumentum hoc primo ſtatim intuitu late nimis patere videtur, ut alia plura; ſed ſatis coarctatum, brevibuſque cancellis circumſcriptum eſt, ubi de ſingulis præceptis ſeorſim oratio minime habeatur, niſi quatenus exempli gratia afferri poſſunt, vel ut id, quod reliquis omnibus commune eſt, explicetur. Itaque de præceptorum Dei obſervantia, vel de obedientia, quæ legi debetur, didaſcalicus inſtitui poteſt ſermo, quemadmodum inſtitui ſolet de affectibus, pœnitentia, aliiſque id genus argumentis, quæ generatim conſiderari poſſunt, quamvis plurima habeant membra, quorum ſingula proprio, ac particulari ſermoni argumentum poſſunt ſuppeditare.

Notandum quoque eſt, quamvis Catechiſtæ vulgo Decalogum, vel Dei, & Eccleſiæ præcepta aſſumant pro familiarium inſtructionum ſuarum argumento, quatenus illa ſunt prima chriſtianæ religionis rudimenta pueris tradenda, hoc minime prohibere, quominus concionatorio more loqui poſſis de tanti momenti argumento, quod numquam ſatis pertractari poteſt; quoniam ſine præceptorum obſervatione adulti ſalvi eſſe non poſſunt; & harum ſacrarum legum prævaricatio unica eſt damnationis illorum cauſa. Adde his nullum ferme ſermonem eſſe, cujus aliquam ſibi partem hoc non vindicet argumentum, ſi totus in hoc nequaquam verſetur; etenim in hoc tota fere Moralis chriſtiana conſiſtit.

PARA-